Quod si Dux praefatus ad obedientiam Sanctitatis V.rae veniret, ac opera Nuntii praefati fieret concordia inter [97r] magnum Magistrum et Regem Poloniae, videlicet reducendo ipsum Magistrum ad praestandum iuramentum fidelitatis pro Statu, qui praetenditur esse de regno Poloniae, iuxta concordiam tempore Pauli Secundi per Episcopum Laventinum, Apostolicae Sedis Legatum, initam et saepius postea per Magistros ipsos servatam, seu concedendo eis alias terras loco illarum²³, istaeque tres Potentiae unitis animis et viribus adversus Turcarum Tyrannum moverent, dubium non esset quin, dextera Domini^{b)} assistente, omnia illis feliciter prospereque succederent, praesertim si ex Persia et Ungaria iuvarentur, et similiter ab electo Imperatore per Brundusium et a Rege Franciae²⁴, et exercitus Sanctitatis V.rae et Venetorum per aliam viam iuvarentur.

Nuntius ergo ipse poterit secure deferre Concilium [97v] Florentinum et instructiones illas, quae datae fuerunt fratri Francisco de Potentia, Procuratori Ordinis Minorum, Nuntio Sanctitatis V.rae ad Maronitas^{c)} destinato²⁵, ex quibus videre poterit quae super articulis fidei Ruthenis aut Moscovitis erunt proponenda.

¹⁷ Christianus II (1481-1559), rex Daniae et Norvegiae 1513-1523 ac etiam Sueciae a. 1520-1523.

¹⁸ De eius epistula summo pontifici missa v. infra, N. 9.

¹⁹ A. 1519 Poloni insignem victoriam de Moscis reportarunt, intercessioni S. Casimiri adscriptam, cfr. Wojtsyska PKSK, p. 203.

²⁰ Selim I (1470-1520), imperator (sultanus) Turcarum ab a. 1512.

²¹ Selim, 24/25 IV 1512, patrem suum, Baiazid II (1481-1512), regno abdicari coegit et titulo "sultani" (regis regum) privavit.

²² Carolus V.

²³ De confirmatione Pacis Toruniensis a Rodulfo ab Rüdesheim a. 1466 facta et de proposito Cruciferos in Podolię transferendi, vide supra, N. 1.

²⁴ Franciscus I de Valois-Angoulême (1494-1547), rex Galliae ab a. 1515.

²⁵ De his instructionibus et decreto Concilii Florentini, datis a Leone X 20 VIII 1515 Ioanni Francisco Cito de Potentia (postea nuntio in Polonia et Moscova, cfr. infra), ad patriarcham Maronitarum misso, v. Hefele-Leclercq VIII/2, p. 512.

Tertio, quod Nuntius ipse etiam examinet testes super vitae sanctimonia et miraculis Casimiri²⁶, quorum examen etiamsi per Sanctitatem V.ram Archiepiscopo Guernensi [sic]²⁷ et aliis sit commissum, existente tamen ibidem Nuntio Sanctitatis V.rae, videtur quod ipse etiam principaliter, quando adesset, deberet omnino cognoscere, a quo clarius Sanctitas V.ra informanda erit, ut ad ulteriora pro ipsius Casimiri canonizatione procedatur²⁸.

V.ra Sanctitas proposuit, si presbyter Ruthenus aut Moscus, qui est praesens, quique fuit ordinatus ab Episcopo [98r] scismatico et haeretico Rutheno, communionem et gratiam Apostolicae Sedis non habente, debeat iterum ordinari, et quomodo?

His omnibus mature discussis, omnes Rev.mi laudarunt propositum Sanctitatis V.rae, quod hoc tempore, quo Sanctitas V.ra cum Sacro Collegio sanctam adversus Turcas expeditionem indixit cum induciis quinquennalibus inter Christianos²⁹, sanctissime et prudentissime istos duos tractatus concordiae promovit cum Polono Rege, videlicet illam Ruthenorum aut Moscovitarum, Theutonicorum aut Prutenorum vel Prussiae. Et si desiderata pax aut concordia succederet medio istius Nuntii Apostolici, magnam spem victoriae Christianorum adversus Christiani nominis hostes pollicerentur. Quare Cardinales ipsi supplicant Sanctitati V.rae, ut adhibeat omnem diligentiam ad hoc, ut res Christianae augeri et prosperari possint.

[98v] Quo[d] vero ad ultimum, Cardinales omnes convenerunt, quod cum tempore Alexandri papae VI similis presbyter Ruthenus, tempore quo iste orator Polonus erat in minoribus constitutus et praepositus Ecclesiae Locensis [sic] ac orator Alexandri, Ducis Lituaniae³⁰, volueritque ille ordinari more Latino, et ita fuerit reordinatus³¹, sicque cum isto servari debet, quod cum illo tunc servatum fuit. Ac per Episcopum Ottocensem³² ordinetur, iuxta tunc conclusa secundum Concilium Florentinum. Et similiter de reductione Ruthenorum aut Moscovitarum poterit concedi eadem bulla, quae tempore Alexandri VI iuxta Concilium Florentinum fuit expedita³³.

Et de concordia Militiae Prussiae cum Rege Poloniae dare bonam commissionem Nuntio, ut omnibus modis curet eos concordare, et per quem stet significet V.rae Sanctitati, ut illum litteris possit attrahere et conducere

²⁶ Casimirus, tertio genitus Casimiri Jagellonidis, regis Poloniae, natus Cracoviae 3 X 1458, mortuus in odore sanctitatis Grodnae 4 III 1484, sepultus Vilnae.

²⁷ Ioannes Łaski (1456-1531), aepus Gnesensis et primas Poloniae ab a. 1508.

²⁸ Cfr. infra, N. 3.

²⁹ Vigore bullae "Considerantes", die 6 III 1518 editae (cfr. Pastor SP IV/1, p. 148).

³⁰ Erasmus Ciołek, tunc praepositus Vilnensis (non vero Plocensis), a. 1501 missionem Romae absolvit nomine Alexandri Jagellonidis, tunc magni ducis Lithuaniae.

³¹ Casus hic invenitur descriptus et resolutus in brevi Alexandri VI, dato 10 V 1501, ab ipso Erasmo Ciołek descripto, cfr. Theiner VMPL II, p. 284 et Wojtyska BRP I, p. 97-98.

³² Vincentius De Andreis († 1524), Dalmata, praelatus domesticus Leonis X et a. 1493-1520 epus Ottocensis (Otočac in Croatia).

³³ Agitur de brevi Alexandri VI ad Albertum Tabor, epum Vilnensem, 26 IV 1501 dato, per Erasumum Ciołek transmisso, cfr. Wojtyska BRP I, p. 90-93.

ad honestam pacem et concordiam. Similiter, cum Sanctitas V.ra scribat [99r] Regi Daniae, ut ipse quoque se intromittat et inducat Ducem Ruthenorum [sic] per suos Nuntios ad confidendum Nuntio V.rae Sanctitatis et quanta bona inde poterunt sperari, et etiam salutem animae suaet gloriā temporalem, et a Turcis nihil certi et veri poterit expectare, nisi omnem violentiam et tyrannidem timere, ac etiam timere bellum per omnem Germaniam et religionem Christianam contra ipsos Moscovitas inferri, si persisterent in hac duratione sui scismatis et haeresis.

Non esset etiam alienum, si Nuntius Apostolicus cum auctoritate Regis Poloniae posset serius intelligere de reductione Bohemorum ad Ecclesiae unionem et de litteris et bullis, quas dictus Rev.mus Strigoniensis olim deduxit³⁴.

Ista videbuntur Dominis Reverendissimis summittenda iudicio Sanctitatis V.rae. Et quia [99v] iste rex Poloniae videtur religiosus, prudens et potens, cum eo agere ad omnes istas reductiones.

a) *Sequitur expunctum:* tamen
b) *Sequitur expunctum:* adiuvante

c) *Supra hoc adscriptum est in ms. alia manu:* Moscovitas

N. 3.

Leo X, pontifex maximus
Zachariae Ferreri

Romae, 15 IX 1519.

Committit ei, ut de vita et miraculis beati Casimiri melius, quam Ioannes Laski et Petrus Tomicki, indaget, adeo ut ad canonisationem istius beati procedere possit.

Cop. coaevae: Kraków, BJ, ms. 6548, p. 691;
Wrocław BOss, ms. 176 II f. 210r-v.
Cop. posterior: Kórnik, BPAN, ms. 223, p. 3-4.
Ed.: Działyński AT IV, p.401-402, et iterum AT V, p.187.

Leo papa decimus, Zachariae, episcopo Gardiensi, praelato domestico et referendario secreto, nuntio nostro.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cum singulari-rem fidem ac industriam tuam pluribus experimentis notam perspectamque habeamus ac speremus, quod ea, quae tibi per nos commissa et iniuncta fue-

³⁴ Thomas Bakócz (circa 1442-1521), Ludovici II Iagellonidis, regis Hungariae et Bohemiae cancellarius, aepus Strigoniensis (Esztergom) ab a. 1497, S.R.E. cardinalis ab a. 1500.

rint, omni studio ac diligentia perficere curabis, licet venerabilibus fratribus archiepiscopo Gnesnensi³⁵ et Premisliensi episcopo³⁶ per alias nostras litteras iam pridem commiserimus, ut de vita, gestis ac miraculis beati Kazimiri, ex regibus Poloniae, quem char. mus in Christo filius noster Sigismundus, Poloniae rex, canonisari et in sanctorum cathalogum referri desiderat³⁷, se diligenter informarent ac omnia per eos inventa in processu facerent annotari, eumque clausum ac eorum sigillo munitum ad nos transmittenterent³⁸, nihilominus ad rei veritatem melius indagandam, Fraternitati tuae, quam ad partes istas nostrum et Apostolicae Sedis nuntium destinamus, duximus committere, ut de praefati Kazimiri vita, gestis atque miraculis per eum, dum viveret ac post eius obitum factis, diligentissime inquirat plenamque de omnibus notitiam nobis referat, seu per suas litteras significet, ut re mature et diligenter cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus discussa, deliberare possimus, an idem Kazimirus, de quo multa praedicantur, non propter natalium splendorem ac regium sanguinem, sed propter virtutes vitaeque sanctimoniam sit dignus, qui in cathalogum sanctorum iure ac merito referatur. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV Septembris, Anno Domini M.D. XVIII, pontificatus nostri anno septimo.

N. 4.

**Leo X, pontifex maximus
Basilio III, magno duci Moscoviae**

Romae, 16 IX 1519.

Breve credititum in personam Zachariae Ferreri, una cum adhortatione, ut ad unionem cum Ecclesia Romana redeat.

Min.: AV, Arm. 40, ms. 4 f. 125r. In f. 125v alia manu: "Hoc breve reperiebatur pag. 85, Lib. III brevium Leonis X incomactum, ut ibidem notatur" (Liber iste hodie in AV desideratur).

- Ed.: Raynaldus XII, p. 267-268 (fragmentum).

Cop. posterior: BV, Barb.Lat. 5215 f. 92r-93r (cum data 26 IX 1519).

Leo papa X nobili viro Basilio^{a)}, duci Moscoviae et Russiae principi.

³⁵ Ioannes Łaski.

³⁶ Petrus Tomicki (1464-1535), epus Premisliensis ab a. 1514, vicecancellarius regni ab a. 1515.

³⁷ Cfr. litteras regias ad pontificem, datas 10 V 1517 (Theiner VMPL II, p. 367) et 31 V 1518 (copia Warszawa, AGAD, Sucha 22/32, p. 597-598). Vide Wojtyska PKSK, p. 208, 214.

³⁸ Breve, quo pontifex causam Ioanni Łaski et Petro Tomicki commiserat, non invenitur. Cfr. Wojtyska PKSK, p. 214.

Nobilis Vir, gratiam in praesenti, per quam, veritate agnita, gloriam obtineas in futuro. Postquam nobis per fidedignos relatum fuit Nobilitatem tuam, divino instinctu motam, id animo agitare, ut ad unionem et oboedientiam Sanctae Romanae Ecclesiae, a cuius gremio et sinu ipsa cum terris, dominiis et omnibus subditis suis per multos annos separata mansit, nunc tandem redeat, ac discussis tenebris, orthodoxae fidei veraeque doctrinae lumini adhaereat³⁹, commota sunt piae gaudio cordis nostri viscera, magnasque omnipotenti Deo gratias egimus, quod assiduis precibus tuis annuendo, fidem suam in dies augere, humanasque mentes illuminare et ad salutis viam reducere dignatur.

Cum summis itaque desideriis cupiamus bonos ac sanctos incoepitus tuos, quantum in nobis est, iuvare ac potenter res tuas nostris adiungere, ut obstinatis christiani nominis hostibus bello superatis christianaque fide per omnes mundi partes dilatata, falsisque idolorum superstitionibus dirutis atque sublatis, unus pastor et unum ovile fiat, id quod divina prophetarum oracula nobis iam e diu praedixerunt⁴⁰ ac nostris temporibus fore, pluribus ac certis speramus indiciis, venerabilem fratrem Zachariam, episcopum Gardensem, praelatum domesticum et referendarium secretum, nuntium nostrum, singularis prudentiae integerrimaeque fidei virum, ad partes istas destinandum duximus, eique in mandatis dedimus, ut nonnulla (maxime ad utilitatem et salutem tuam ac honoris augmentum et status tui firmitatem pertinentia) tecum nostro nomine communicet et tuam voluntatem clarius ac plenius exploret, nosque de ea re certiores quamprimum reddat. Cui, non aliter quam nobis ipsis, integrum fidem praestabis, eique omnia [126r] cordis tui archana tuto ac secure manifestabis.

Nos interim Christum, verum Deum, qui te ac universum genus humaanum preciosissimo sanguine suo redemit, devote rogabimus ac rogari faciemus, ut mentem tuam illuminare ac gressus tuos dirigere dignetur, ut omnibus posthabitatis, eius fidem unam cum toto ducatu et subditis tuis omnibus amplecti festines ac properes. Quod si, ut in Domino speramus et optimus, feceris, talibus gratiis, honoribus ac praerogativis te prosequemur, ut re ipsa intelligas, nos te non ut insertum et adoptivum, sed tamquam verum et peculiarem filium nostrum diligere, continueque in visceribus charitatis gerere. Datum Romae, die 16 Septembris 1519, anno septimo.

(b-L[aurentius] card. Sanctorum Quattuor^{b)41}
Evangelista^{c)42}

a) *Adscriptum supra pro expuncto Johanni.*
c) *Manu Evangelistae Tarasconi.*

b-b) *Manu ipsius cardinalis.*

³⁹ Cfr. infra N. 9. Vide etiam breve iam antea, 4 VI 1518, signatum, editum a Pastor SP IV/2, p. 683.
⁴⁰ Ioan. 10, 16; cfr. Ezech. 34, 11-30.

⁴¹ Laurentius Pucci (†1531), card. tit. SS. Quattuor Coronatorum ab anno 1513, datarius et (ab a. 1514) regni Poloniae protector.

⁴² Evangelista Tarasconi, secretarius domesticus pontificum annis 1515-1532.

N. 5.

**Leo X, pontifex maximus
Alberto, magno ordinis Theutonicorum magistro**

Romae, 16 IX 1519.

Breve credititium in personam Z. Ferreri, quem mittit ad partes istas [...] pro nonnullis gravibus christianam fidem concernentibus negotiis, cui nonnulla iniunxit ei communicanda.

Cop. coaea: Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 214r.
Ed.: Działyński AT V, p. 191.

N. 6.

**Litterae passus
a Leone X, pontifice maximo
Zachariae Ferreri et Ioanni de Tedaldis datae**

Romae, 17 IX 1519.

Commendat eos universis, per quorum loca ipsos, in Poloniā eentes, transire contigerit, ut eos benigne accipient et adiuvent.

Reg.: AV, Reg.Vat. 1201 f. 263v.

Leo etc. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, lecturis, pariter et audituris, quacumque ecclesiastica et mundana praefulgeant dignitate, salutem etc.

Mittimus ad char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae regem illustrem⁴³, venerabilem fratrem Zachariam, episcopum Gardensem, praelatum nostrum domesticum et referendarium secretum, ac dilectum filium nobilem virum Iohannem Tedaldi, equitem auratum, nobis consanguineum, nostros et Apostolicae Sedis nuntios et oratores. Et quoniam per terras, civitates, villas, oppida, castra et regna vestrae ditioni subiecta eos iter facere continget, vos omnes et singulos, quantum enixe possumus, in Domino exhortamur, ut pro nostra et Sedis Apostolicae reverentia, vestrisque erga christianam religionem amore ac pietate, eosdem Zachariam epi-

⁴³ Similes litterae, mutato tantum nomine principis, ad quem isti nuntii mittebantur ("nobilem virum ducem Basilium, Moscoviae et Russiae principem"), inveniuntur in eodem codice, f. 264v, ubi Ferreri erronee episcopus Sardicensis vocatur; editae sunt cum mendis a Theiner VMPL II, p. 403-404.

scopum et Iohannem equitem, nuntios et oratores nostros, debitibus cum honore et humanitate per loca vestra, ad quae eos divertere contigerit, suscipiatis et tractetis, suscipique et tractari faciatis, eisque, cum opus fuerit, de scorta, salvoconductu ac itineris securitate et aliis opportunis provideatis ac provideri faciatis, eosdemque nuntios nostros cum eorum familiis, equitaturis ac rebus omnibus, quas secum deferent, absque pedagii et gabellarum solutione, libere intrare, manere, transire et exire sollicite studeatis et curetis, ut omnipotentis Dei gratiam et nostram benedictionem ac vitae aeternae proemia promereret valeatis. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno etc. millesimo quingentesimo decimo nono, quintodecimo Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno septimo.

(^{a-a}Bal[thas]jar de Piscia^{a-a})⁴⁴

^{a-a}) *Manu ipsius Balthasaris.*

N. 7.

Leo X, pontifex maximus
Zachariae Ferreri

Romae, 28 IX 1519.

Breve, quo illum, episcopum Gardiensem, ad Sigismundum, Poloniae regem, nuntium destinat, eumque habitat, ut omnia beneficia, ei canonice in dicto regno collata, consequi possit.

Or.: olim in AV, AA I-XVIII n. 1350 (hodie non invenitur). Nota suprascripta exstat in inventario Archivi Arcis S. Angeli a Vincentio Nardoni confecto, cfr. AV, Indice 1004 f. 11r.

N. 8.

Leo X, pontifex maximus
Zachariae Ferreri

Romae, 30 X 1519.

In Poloniam et Moscoviam iturum, absolvit ab omnibus poenis, censuris et infamiae maculis, quas olim, conciliabuli Pisani sequax, contraxit.

⁴⁴ Balthasar de Piscia, scriptor brevium.

Or.: olim in AV, AA I-XVIII n. 1349 (hodie non invenitur). Nota eiusdem tenoris ut in inventario V. Nardoni (cfr. N.7). Absolutio haec erat, ut videtur, ad cautelam, cum constet eum iam 11 XII 1513 absolutum fuisse (cfr. breve ab-solutionis in AV, Arm. 39, ms. 36 f. 18v-21v).

N. 9.

**Instructio
a Leone X Zachariae Ferreri data**

Romae, 1 XI 1519.

Committit ei, ut recto itinere ad regem Poloniae perget, eum ad expeditio-nem adversus Turcas sumendam adhortetur, eiusque circa illam animum ex-ploret. Mandat etiam, ut pro pace inter regem Sigismundum et Albertum, mag-num ordinis Theutonici magistrum, componenda intercedat et ad eundem ma-gistrum illius causa, si ita regi placuerit, se conferat; iter item instruat in Mo-scoviam, salvo conductu, comitiva et instructionibus a rege munitus, ut mag-num ducem Basilium ad deponenda arma adversus Polonus et ad unionem cum Ecclesia Romana induceret; item, ut ad tumulum beati Casimiri proces-sum canonisationis eius instruat Romamque quam primum transmittat; invi-satque reginam Bonam et alios regni Poloniae proceres, ac etiam duos episcopa-tus Polonicos Ioanni Alberto et Gumberto, fratribus magistri ordinis Theutoni-corum, a rege impetret, de omnibusque crebro se informet.

Cop. coaevae: Kraków, BJ, ms. 6548 p. 693-698;

Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 22763;

Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 211r-214r.

Cop. posterior: Kórnik, BPAN, ms. 223 p. 4-8.

- Ed.: Działyński AT V p. 188-190 (cum mendis).

(^a-Leo papa X venerabili fratri Zachariae, episcopo Gardiensi, praelato domestico et referendario, nuntio nostro^{-a}).

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Novit Frater-nitas tua, quod neminem latere potest, quo studio, quantave diligentia sem-per^{b)} studuerimus ac etiam procuraverimus, ut pax universalis inter christia-nos omnes reges ac principes fieret, ad effectum, ut sancta ac pernecessaria aduersus christiani nominis hostes expeditio, alias per nos indicta⁴⁵, per eos-dem christianos reges ac principes, unitis animis iunctisque viribus, tandem una nobiscum sumeretur. Cui sanctissimo negotio in dies magis intendentes, scientes char.mi in Christo filii nostri Sigismundi, Poloniae regis, potentiam et vires admodum necessarias et oportunas esse, te ad eius maiestatem pro

⁴⁵ Vigore bullae "Considerantes", cfr. supra, notam 29.

dictae pacis et aliis nostris ac Apostolicae Sedis negotiis tractandis et procurandis nostrum et Apostolicae Sedis nuntium et oratorem duximus cum benedictione Domini destinandum, sperantes Fraternitatem tuam, pro sua erga nos et dictam sedem fide et devotione necnon prudentia et integritate, omnia sibi per nos iniuncta [694] fideliter ac diligenter curaturam et secundum cor nostrum, iuvante Domino, executuram fore.

Volumus igitur ac tibi mandamus, ut cum nostra benedictione recto itinere ad praefatum regem pergas, ad quem postquam, Deo dante, perveneris, ac paternam benedictionem maiestati suae nostro nomine nuntiaveris, ei, qua decet prudentia et dexteritate, significabis nostrae mentis fuisse, ut dilectus filius frater Nicolaus^{c)} ad peragendum negotium incoemptum ad eas partes rediret⁴⁶, nisi in nonnullis aliis nostris obsequiis eius opera indiguissemus; nosque nihil magis appetere et desiderare, quam quod quinquennales saltem induciae, per nos inter omnes christianos reges et principes indictae⁴⁷ et ab eis acceptatae, firmiter observentur et dicta sancta expeditio sumatur. Quae licet obitu clarae memoriae Maximiliani, in imperatorem electi⁴⁸, aliquantum tum impedita ac dilata fuisse videatur, tamen propter unanimem et concordem electionem de char.mo in Christo filio nostro Carolo, Romanorum ac Hispaniarum Rege catholico, factam⁴⁹, speramus ac in Domino confidimus, quod expeditio huiusmodi non diu admodum differetur atque tardabitur, cum praesertim sciamus, inter alios reges ac principes christianos eundem ser.mum regem optime affectum et dispositum esse, ut non solum ipse ad huiusmodi expeditionem se accingat, sed ad eam quoque char.mum filium nostrum Ludovicum, Hungariae regem illustrem, cuius patruus et tutor existit⁵⁰, continue disponere et quoscumque alios reges et principes invitare non praetermittat. Cum sciamus autem praefatum ser.mum regem non solum potentia et viribus multum praestare, sed et consilio ac prudentia excellere, Fraternitati tuae committimus, ut ab eius maiestate intelligat, quam opinionem ac sententiam habeat super dicta expeditione sumenda et quae credat expeditioni necessaria et opportuna fore, ut eum, quem speramus et optamus, effectum sortiri valeat; tandem maiestatem suam certiorem faciendo, nos cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus omnia efficere et cogitare, quae ad huiusmodi expeditionem facere et convenire credamus.

[695] Et quia intelleximus, nonnullas adhuc superesse differentias inter eundem ser.mum regem et magnum magistrum Prussiae, nos eas tandem sedari et componi desiderantes, tibi committimus, ut dictum ser.mum regem ad pacem cum magistro ineundam nostro nomine horteris. Quam si, ut spe-

⁴⁶ Nicolaus a Schönberg, cfr. N. 1, 14.

⁴⁷ Vigore supradictae bullae "Considerantes".

⁴⁸ Imperator Maximilianus I Habsburg obiit 12 I 1519.

⁴⁹ Carolus Habsburg electus est in imperatorem 29 VI 1519.

⁵⁰ Ludovicus II Jagellonides (1506-1526), Vladislai II, regis Hungariae et Bohemiae filius, qui, mortuo patre, regnus illis potitus est a. 1516.

ramus, amplecti voluerit, ad eundem magistrum, cum tibi visum fuerit ac ipse rex iudicaverit opportunum, proficisceris, eumque ad pacem cum dicto ser.mo rege ineundam et observandam efficacibus induces rationibus, inter alia commemorando, quod si pacem ac foedus inter se inire iunctisque viribus communem hostem aggredi voluerint, ambo multo plura et maiora sibi comparabunt, quam sint illa, super quibus inter se toties, non sine miserandis utrinque cladibus, dimicarunt. Talique prudentia et dexteritate uteris, ut cum bona utriusque partium gratia nostroque et huius Sanctae Sedis honore negotium sedulo tractare prospereque concludere possis.

Eidem regi significabis, nos pro singulari amore paternaque benevolentia, qua maiestatem suam prosecuti semper fuimus, nihil omittere, quod ad eius ac etiam nepotis sui regnorum, in confinibus infidelium (sicut omnes intelligunt) existentium, conservationem et augmentum pertinere credamus. Et propterea, cum ex venerabili fratre Erasmo, episcopo Plocensi, suae maiestatis apud nos oratore, intellecterimus, eandem maiestatem suam, propter diuturna et maxima bella cum duce Moscoviae gesta⁵¹, pecuniis adeo exhaustam esse, ut a bellis, quae adversus Turcas et Tartaros aliosque infideles gerere consueverat, quasi desistere cogatur, animo nostro cogitavimus ipsum ducem Moscoviae per Fraternitatem tuam hortari ac monere, ut veram Christi fidem agnoscere et ad oboedientiam Sanctae Romanae Ecclesiae redire et cum ser.mo rege (ut verum [696] christianum decet) quiete et pacifice degere velit. Quod futurum in Domino speramus, cum non solum ex dicto episcopo audiverimus, et etiam a char.mo in Christo filio nostro Christierno, Daciae rege illustri⁵², per eius litteras certiores facti fuerimus, ipsum ducem Moscoviae ad hoc sponte sua iam pridem bene dispositum et inclinatum esse⁵³. Meminerimusque, dum in minoribus constituti essemus, eius patrem similis animi atque propositi fuisse, et ad pontificem Romanum Alexandrum VI, praedecessorem nostrum, suos oratores misisse, qui animum ac propositum huiusmodi suum christianam fidem agnoscendi et ad oboedientiam Sanctae Romanae Ecclesiae redeundi significant⁵⁴.

Fraternitas igitur tua, postquam eidem ser.mo regi consilium nostrum communicaverit, si maiestati suae videbitur, ut ad dictum ducem praemissorum causa te transferas, eam nostro nomine rogabis, ut pro nostro et huius Sanctae Sedis honore de tali, non modo salvo conductu per dictum ducem praestando, sed etiam comitiva tibi provideat, ut tuto ire atque redire valeas, ac pacis inter ipsam et praefatum ducem ineundae conventiones ac capitula tibi consignet, tuque iuxta conventiones et capitula huiusmodi, et non

⁵¹ Bellum Sigismundi I cum magno duce Basilio III initium cepit a. 1513.

⁵² Christianus II, cfr. supra, N. 2.

⁵³ Epistula haec non invenitur.

⁵⁴ Hic erronee, ut videtur, copulatae sunt duae informationes, quae in consilio delectorum cardinalium sunt memoratae: de Ioannis, patris ducis Basilii, legatione ad papam Sixtum IV a. 1484 missa, et de legatione Alexandri Jagellonidis, magni ducis Lithuaniae, ad papam Alexandrum VI pro unione Ruthenorum ab Erasmo Ciołek expleta (cfr. N. 2).

aliter, pacem ipsam cum dicto tractabis; nostrum tamen et dictae sedis honorem nunquam postponendo, ac ita solerter, apte prudenterque te gerendo, ut a nobis merito valeas commendari.

Praeterea, cum dictus rex beati Casimiri canonisationem per nos et dictam sedem fieri ipsumque in sanctorum catalogum referri summopere cupiat, nos honesto ac pio eius desiderio, quantum cum Deo possumus, annuere volentes, ut ad huiusmodi canonisationem matura deliberatione diligentique ipsius Casimiri vitae ac morum examinatione nec non miraculorum notitia et recensione praehabitis, [697] procedere valeamus, licet alias venerabilibus fratribus archiepiscopo Gnesnensi et episcopo Premisliensi similem derrimus commissionem, nihilominus pro veritate diligentius indaganda tibi committimus, ut ad loca, ubi dicti Casimiri corpus quiescere dicitur, te conferas, et de eius vita ac miraculis per eum, tam post ipsius obitum quam ante factis, te diligenter informes, ut cum redieris, verum testimonium reddere ac [de] omnibus certiores [nos] facere possis⁵⁵.

III.mae quoque reginae⁵⁶, post nostram benedictionem, dicere non postponas, nos plurimum optare, ut prospere se habeat, nosque non oblivisci singularis benevolentiae, quae inter suos et nostros progenitores semper viguit, offeresque ob id eidem gratiam et operam nostram, cum oportebit. Et quod maiestas sua curet, ut res Polonicae, Pruthenicae ac Ruthenicae omnino componantur, quod ut facilius et liberius fiat, tractabis, et cum dicto rege et cum eadem regina et cum quibus tibi expedire videbitur, ut proceres regni in eisdem rebus componendis partes suas memorati ser.mi regis providentiae committant. Quod nobis admodum placebit.

Persuadebis etiam praelibato regi nostro nomine, quod plurimum ex nostra sententia ad rem faciat, si duobus nepotibus suis Brandenburgensibus, Ioanni Alberto et Gumberto, dicti magistri fratibus, apud nos degentibus et nobis charis⁵⁷, cum opportunitas aderit, maiestas sua provideri curabit; cui rei nos et gratiam et favorem nostrum libenter praestabimus.

De omnibus vero et singulis tibi per nos commissis ac aliis [698] occurrentibus rebus et novitatibus crebro ad nos scribere subindeque rerum successus nobis significare curabis, ut iuxta rerum qualitatem ac temporum occasiones opportune providere et quid per te curari ac fieri oporteat, quam primum significare possimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Novemboris, anno Domini MDXIX, pontificatus nostri anno septimo.

a) *Ex copia Berolinensi, in copia Cracoviensi:*
Leo papa X Zachariae, episcopo Gardiensi,
nuntio suo.

b) *Suprascriptum.*
c) *Adscriptum in margine:* Shombergus monachus

⁵⁵ Cfr. N. 2-3.

⁵⁶ Bona Sforza (1493-1557), filia Ioannis Galeatii, nupsit Sigismundo I a. 1517.

⁵⁷ Ioannes Albertus (1499-1550), postea aepus Magdeburgensis (ab a. 1545), et Gumbertus (Gumrecht, 1503-1528), paeppositus Bambergensis et Heribolensis, ambo a. 1519-1520 Romae degebant.

N. 10.

Clavis notarum arcanarum
Zachariae Ferreri data

[Romae, 1 XI 1519].

Or.: Firenze, AS, MSS.Torrigiani, Busta I, fasc. 2, n. 3.

(a-Cyfra Nunciorum Poloniae. Zachariae^a)

A . b . c . d . e . f . g . h . i . l . m . n . o . p . q . r . s . t . u . x . z . # Δ ∇ + ♂ 1 ♂ ⊥ 4 H ♀ ♂ 7 ♂ ϕ ω θ V Δ E π				
Imperator ⁵⁸ R	Rex Francorum ⁵⁹ Y	Rex Anglorum ⁶⁰ K	Rex Hungariae ⁶¹ Φ	Rex Poloniae Ω
Mgr Prussiae ⁶² □	Dux Moscoviae ⁶³ ○	Rex Datiae ⁶⁴ ◊	Venetj +	Card. Strigoniensis ⁶⁵ ♀
Card.Gurcensis ⁶⁶ Ω	Card.Sedunensis ⁶⁷ ω	Card. de Crassis ⁶⁸ ≠	Orator Pol. in Curia Rom. ⁶⁹ Δ	
Turcus Ξ	Sophi ⁷⁰ ccc	Tartari ++	Boemi ○—○	
Beatitudo V.ra	Ss.mus Dominus Noster		Dominatio V.ra Rev.ma	

^{a-a)} In dorso documenti. Compositio graphica primae paginae eadem est ac in originali.⁵⁸ Carolus V.⁵⁹ Franciscus I.⁶⁰ Henricus VIII Tudor (1491-1547), rex Angliae ab a. 1509^f⁶¹ Ludovicus II Jagellonides.⁶² Albertus Hohenzollern.⁶³ Basilius III.⁶⁴ Christianus II.⁶⁵ Thomas Bakócz.⁶⁶ Matthaeus Lang (1468-1540), epus Gurcensis in Carinthia 1501-1523, coadiutor aepi Salisburgensis et S.R.E. cardinalis ab a. 1512, consiliarius imperatorum Maximiliani I et Caroli V.⁶⁷ Matthaeus Schiner (ca. 1465-1522), epus Sedunensis (Sion in Helvetia) ab a. 1499, S.R.E. cardinalis ab a. 1511, Helvetios pro parte S. Sedis adversus Gallos Mediolanum occupantes ducebatur.⁶⁸ Achilles de Grassis (1463-1523), S.R.E. cardinalis ab a. 1511, regni Poloniae protector a. 1512-1523.⁶⁹ Erasmus Ciołek.⁷⁰ Ismail I († 1524), ex dinastia Saphavidorum, rex Persiae a. 1502-1524.

N. 11.

**Facultates a Leone X, pontifice maximo
Zachariae Ferreri concessae**

Romae, 1 XI 1519.

Impertit ei facultates pro ducatis Lithuaniae et Moscoviae: causas in foro ecclesiastico iudicandi et iudicandas committendi; tabellionatus officium conferendi; 5 comites palatinos et totidem capellanos ac notarios apostolicos creandi; ad gradum doctoratus in utroque vel altero iure ac magistri in theologia, artibus et medicina personas idoneas promovendi; causas beneficiales audiendi et decernendi; 25 beneficia reservata conferendi, aliaque uniendi et onerandi, ab illis amovendi et ad illa habiles faciendi, necnon dicta beneficia, valorem 5 ducatorum non excedentia, permittare, locare et vendere permittendi; ecclesias et monasteria fundare et dotare, etiam sine ordinariorum locorum consensu, licentiam concedendi; ab impedimentis matrimonialibus dispensandi; 50 regularibus, ut unusquisque 2 beneficia simplicia, et totidem saecularibus sacerdotibus, ut 2 beneficia incompatibilia possidere valeant, permittendi; ad sacros ordines defectum natalium, aetatis et mutilationis membrorum patientes habilitandi; beneficia curata personis in minoribus ordinibus constitutis ad septennium retinere permittendi; quoslibet defectus natalium ferentes legitimandi; a peccatis reservatis et irregularitatibus absolvendi; vota emissa in pia opera permutandi; ieunia relaxandi; diversas indulgentiarum species concedendi. Sequuntur clausulae.

Reg.: Kraków, AKM, Acta Officialia Cracoviensia 42 p. 435-445.

Reg.: Warszawa, AGAD, Metr.Kor. 37 f. 87r-95r.

Reg.: AV, Reg.Vat. 1200 f. 283v-290v.

Leo Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Zachariae Episcopo Gardiensi, ad charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae regem et Lithuaniae ducem Illustrum, nostro et apostolicae sedis nuncio et oratori, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos hodie te, qui praelatus noster domesticus et referendarius secretus existis, [436] ad char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae regem et Lithuaniae ducem Illustrum, pro nonnullis nostris et Sanctae Romanae Ecclesiae arduis peragendis negotiis nostrum et Apostolicae Sedis nuncium et oratorem duxerimus destinandum, nos cupientes, [ut] erga personas in provinciis et terris Lithuaniae et Moscoviae^{a)} ducatis residentes et familiares, continuos commensales tuos, et alias de terris et ducatis ac dominiis praedictis ad te accedentes quoscumque, te reddere valeras gratiosum, Fraternitati tuae, de qua, ob compertam eius a nobis dome-

stica experientia probitatem, in his et aliis speciale in Domino fiduciam obtinemus, matrimoniales, beneficiales et alias spirituales ac profanas causas quaslibet, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, tam primae instantiae, quam appellationum quarumlibet, a quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis, etiam per nos et Sedem Apostolicam praedictam deputatis et ad nos et sedem eandem, seu quoscumque alios iudices interpolitarum et pro tempore interponendarum, etiam simpliciter et de plano, per te vel alium, seu alios, audiendi, cognoscendi, seu pertractandi ac aliis iudicialiter audiendas, cognoscendas et fine debito terminandas et delegandas, illasque etiam, si per nos vel alios auctoritate apostolica delegatae forent, seu aliter etiam quomodocumque penderent; et cum tibi placuerit et iustum fieri videbitur, ad te advocandi et aliis committendi.

Necnon officium tabellionatus quibuscumque personis idoneis, recepto ab eis iuramento in forma solita, concedendi, illasque in tabelliones, necnon quinque in comites palatinos cum facultatibus per nos et Sedem Apostolicam praedictam concedi solitis creandi⁷¹, ac totidem in accolitos capellanos⁷², et totidem etiam personas idoneas in nostros notarios et dictae sedis⁷³ auctoritate apostolica recipiendi ac aliorum nostrorum et eiusdem sedis notariorum et accolitorum capellanorum ac aulae nostrae Lateranensis comitum palatinorum numero et consorcio favorabiliter aggregandi, ita quod omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, praerogativis, indultis, honoribus, exemptionibus, gratiis, libertatibus et immunitatibus gaudeant et utantur, quibus gaudent et utuntur ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum alii nostri et dictae sedis notarii et accoliti^{b)} capellani ac dictae aulae nostrae comites palatini; exhibendique seu exhiberi faciendi eis insignia notariatus huiusmodi, recepto prius ab eis solito iuramento.

Ac quascumque sufficientes et idoneas personas volentes se ad doctoratus seu licenciatura in utroque vel altero iurium ac magistri in theologia vel artibus et medicina seu alios gradus promoveri, praevio examine rigoroso et diligenti, servatis solemnitatibus in talibus servari solitis, promovendi [437] ac gradus huiusmodi et solita insignia et debita conferendi et exhibendi, seu promoveri et exhiberi ac conferri faciendi; quodque sic tunc promoti omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis et praerogativis, beneficiorum ecclesiasticorum assecutionibus, aliis ad huiusmodi gradus in universitatibus studiorum generalium promotis concessis et concedendis,

⁷¹ Comes Palatinus, vel Comes Sacri Palatii Lateranensis - dignitas et titulus honoris, antiquae originis (a tempore Caroli Magni), ab imperatoribus et pontificibus Romanis concedi solitus, iis praesertim personis saecularibus, quae ad familiam pontificiam (vel imperiale) pertinebant.

⁷² Accolitus Capellanus - usque ad a. 1655 membrum collegii, quod partem Accolitorum Palatinorum, pontifici in eius palatio inservientium, constituebat. Capellani in capella pontificia sedebant in ultimo gradu throni et in duebantur "habitu cum rocheto".

⁷³ Agitur de notariis titularibus, qui, aliter ac (proto)notarii de numero participantium, nullum officium in palatio apostolico exercabant, sed privilegio habitus et rocheti, extra Romanam deferendi, ac - vigore bullae "Regimini universalis Ecclesiae", a Leone X 4 V 1515 editae - exemptione a loci ordinario in causis civilibus, summam 25 ducatorum auri de Camera excedentibus, gaudebant.

in posterum uti, potiri et gaudere libere et licite possint et debeant, indulgendi.

Necnon resignationes simpliciter vel ex causa permutationis ac commendatorum et, tam in Curia quam extra, litigiosorum, quorum ultimi vacatio-
nis modi exprimi aut pro expressis haberi possint, commendarum ac iuris li-
tis ex causa huiusmodi concessiones recipiendi et admittendi ac colligandi, in
iure surrogandi causas desuper pendentes, advocandi et litem huiusmodi pe-
nitus extinguendi, et illa ac alia quaecumque, quodcumque et qualiacumque
intra limites terrarum et ducatorum praedictorum, etiam si per obitum (^cpro
tempore^c) vaccantia [sic], saecularia et quorumvis ordinum regularia benefi-
cia ecclesiastica, vigintiquinque dumtaxat, dispositioni apostolicae speciali-
ter vel ex quavis causa, quae de necessitate forsitan exprimi deberet, praeter-
quam ratione vaccinationis illorum apud sedem praedictam, generaliter reser-
vata et multipliciter affecta; omnia vero et singula alia non reservata ac de
iure patronatus laicorum et collationes ad sedem praedictam iuxta Latera-
nensis statuta Concilii legitime devoluta existant, dummodo generalis reser-
vatio huiusmodi ratione vaccinationis illorum apud sedem praedictam vel fa-
miliaritatis, continuae commensalitatis nostrae aut praedecessorum nostro-
rum vel aliquorum S.R.E. Cardinalium, in dicta Curia praesentium, collatio
ad eosdem Cardinales non pertineat⁷⁴, personis idoneis, etiam quaecumque,
quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et exspec-
tantibus, etiam saecularibus et regularibus, conferendi vel per easdem per-
sonas, quoad vixerint, etiam una cum aliis per eos obtentis et obtainendis be-
neficiis ecclesiasticis quibuscumque, tenenda, regenda et gubernanda; ita
quod liceat eis, debitibus et consuetis oneribus suppeditatis, de residuis illo-
rum fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicut illa pro
tempore obtainendi, de illis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam dispo-
nere, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et precisorum
mobilium dictorum beneficiorum eis penitus interdicta; commendandi, nec-
non illa et quaevis alia, quae personae propterea ad te recurrentes obtine-
bunt, invicem vel quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis, de consensu tamen
[438] eorum, ita quod liceat illis ad quorum commodum uniones huiusmodi
factae fuerint, possessionem unitorum continuare, seu de novo apprehendere
et retinere ac de illorum fructibus, redditibus et proventibus disponere et in
suos usus convertere, diocesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia
super hoc minime requisita, ad vitam aut aliud tempus, de quo tibi videbi-
tur, uniendi, annexandi et incorporandi.

Ac beneficiorum uniones, annexiones et incorporationes dissolvendi cum
illorum in pristinum statum restitutione, verumque et ultimum vaccinationis
modum beneficiorum ipsorum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio
resultet, pro expressis habendi; ac super illorum et quorumcumque aliorum

⁷⁴ Cfr. dispositionem Concilii Lateranensis V, in sessione IX, die 5 V 1514 celebrata, emanatam
(bulla "Supremae dispositionis arbitrio", *Bullarium Romanum* V, p. 606-607)

beneficiorum ecclesiasticorum fructibus, redditibus et proventibus quascumque pensiones annuas, non tamen tertiam partem fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi excedentes aut eiusdem medietatem, loco dictae pensionis praedictis resignantibus vel cedentibus, aut aliis personis idoneis, quoad vixerint, praedicta beneficia et successores suos, eadem pro tempore obtinentes, annis singulis in locis et terminis, ac sub privationis et aliis poenis et censuris ecclesiasticis, in similibus apponi solitis, persolvendis, reservandi, constituendi et assignandi.

Omnesque beneficiales, quorum demerita id exegerint, praevia accusatio ne et inscriptione debitum, poenam privationis, etiam ob non solutionem pensionis, incurrentes, eorum beneficiis privandi et declarandi ac ab illis amovendi; et beneficia ipsa per privationem et declarationem hiusmodi tunc vaccantia, etiam personis idoneis conferendi et de illis providendi; ac personas praedictas ad effectum praedictorum, aut quarumcumque aliarum gratiarum, quas per te concedic^c) contigerit, ab omnibus et singulis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quomodolibet per eos incursis, ad effectum gratiae absolvendi et absolutos fore censendi; ac omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et ordinum quorumcumque regularia, etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtenta et expectata, ac in quibus eis quomodolibet ius competit, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores et pensionum, quas percepient et percipient, quantitates in litteris tuis expressis habendi.

Necnon quibusvis personis, etiam ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, ut bona immo[439]bilia ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personatum, prioratum, administrationum et officiorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, tam saecularium, quam quorumvis ordinum regularium, quae obtinent seu obtinebunt, usque ad summam seu annum valorem quinque ducatorum, permutare, vendere et ad tempus etiam longum locare, in pheudum [sic] et emphitheusim, seu censem et afflictum concedere, ac alias alienare valeant, concedendi. Et iam factas venditiones, permutations, locationes et alienationes et contractus quoscumque, etiam cum supplicatione defectuum, tam iuris quam facti, cum evidenti ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum, ad quae pertinent, utilitate, confirmandi.

Et personis quibuslibet ecclesias, monasteria et domos, etiam ordinum mendicantium, et beneficia ecclesiastica quaecumque de novo fundare et delere aut collapsa reparare volentibus, et illa in locis ad id honestis ac commodis, etiam sine consensu locorum, ubi id fieri contigerit, ordinariorum, si ne alicuius praeiudicio fundari, dotare et reparare; et quod in huiusmodi fundatione licita et honesta onera pro tempore illo obtinentibus imponere valeant, reservatis eis et eorum successoribus iure patronatus et praesentandi

personas idoneas ad illa dum vacabunt, licentiam concedendi et illa, sine aliquius praeiudicio, exigendi et conferendi.

Necnon tempus praefixum executoribus ultimarum voluntatum ad illas [exequendas] prorogandi, easque in alios pios usus convertendi; et cum quibusvis personis in dictis ducatis et dominiis constitutis, hinc inde quarto simplici vel multiplici ac tertio et quarto simul consanguinitatis vel affinitatis gradibus de contracto et contrahendo, et quocumque alio impedimento pudicitiae, honestatis, iustitiae impeditis, inter se matrimonialiter copulari; et cum his, qui per adulterium se polluisserent, dum tamen in mortem praedefuncti coniugis quicquam machinati non fuerint, et invicem matrimonialiter copulati et contractis per eas seu contrahendis scienter vel ignoranter matrimoniis, cum absolutione a censuris et poenis, quas etiam scienter contrahendo incurrisserent, remanere possent, prolem exinde susceptam et suscipiendum decernendo et enunciando legitimam.

Necnon cum quinquaginta personis quorumcumque ordinum, non tamen mendicantium, professoribus, ut quaecumque duo, cum cura vel sine cura, per eorundem ordinum respective professores obtineri solita; necnon cum quinquaginta ecclesiasticis [440] saecularibus, ut quaecumque duo curata, seu alias invicem incompatibilia saecularia, aut cum uno ex eis, seu sine illis, unum cum cura vel sine cura, cuiusvis ordinis regulare; necnon quaecumque duo alia similia simplicia aut dissimilia, sub uno et eodem tecto, unius et eiusdem etiam cathedralis seu metropolitanae vel alterius ecclesiae consistentia, alias tamen se invicem et cum praedictis compatibilibus competentia beneficia ecclesiastica, etiamsi alterum sub eodem tecto consistentium, cum cura aut canonicatus et praebendae, et tam illud, quam incompatibilia saecularia, parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae aut dignitates, etiam maiores et principales, personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus, metropolitanis et collegiatis ecclesiis, seu talia mixtum; regularia vero beneficia huiusmodi, prioratus, praepositurae, praepositatus dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes vel officia, etiam claustralium ac curata et electiva, similiter fuerint, recipere, et insimul saecularia, videlicet saecularibus in titulum, regularia vero, videlicet ipsis regularibus, quod regulares maluerint, etiam in titulum; reliquum vero regulare beneficia huiusmodi saecularibus vel regularibus in commendam, quoad vixerint, vel ad tempus de quo tibi videbitur, retinere, ita quod commendandi beneficii supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti illud in titulum pro tempore obtinentes, de illo disponere potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et precisorum mobilium dicti commendandi beneficii eis penitus interdicta.

Ac cum pacientibus natalium quoscumque, sive aetatis in illorum vigesimo tertio anno vel circa constitutis, vel membrorum, etiam oculi, non tamen cavitatis, et ex quo talis non sit deformitas, quod ex ea scandalum in populo

generetur, defectus, ut ipsi et quicumque alii saeculares et quorumvis ordinum regulares ad omnes, etiam sacros et presbiteratus ordines, etiam a quocumque antistite, gratiam et communionem dictae sedis habente, etiam extra tempora a iure statuta, se promoveri, alias rite facere, ac quaecumque, quotcumque et qualiacumque, cum cura et sine cura, se invicem compacientia, etiam, ut praefertur, qualificata beneficia ecclesiastica, si eis alias canonicę conferantur, aut ipsi elegantur, praesententur, vel alias assumantur ad illa et instituantur [441] in eis, recipere et insimul, quoad vixerint, retinere, cum clausula permutandi et commendae cedendi totiens quotiens; ac quascumque pensiones annuas et fructuum, reddituum et proventuum beneficiorum ecclesiasticorum reservationes eis pro tempore fiendas, percipere et levare libere et liceat possint; eisdemque pro tempore obtinendi beneficia ecclesiastica curata, seu alias sacros et presbiteratus ordines huiusmodi, tam de iure quam statuto fundationis vel alias requirentia, ut ratione illorum usque ad septennium, a fine anni eis a iure praefixi computandum, ad aliquem ex sacris ordinibus huiusmodi, dummodo infra primum biennium dicti septennii ad subdiaconatus ordinem promoti fuerint, se promoveri minime teneantur, nec ad id a quoquam quavis auctoritate inviti valeant coarctari, dispensandi; et taliter vel alias dispensatis septennium vel biennium seu quodcumque aliud tempus, etiam iteratis vicibus prorogandi.

Ac eosdem illegitime natos, bastardos, spurios et alias quoscumque defectum natalium patientes legitimandi et ad primaeva eorum iura et honores restituendi, et quascumque illegitimitatis maculas, etiam quoad honores et dignitates, tam ecclesiasticas quam saeculares, et arma deferendi, ac in quibuscumque bonis parentum, seu alias consanguineorum suorum, sine tamen alicuius praeiudicio, succedendi, abstergendi; et quod ipsi cum quibus super hoc per nos vel sedem praedictam aut te praesentium vigore, ut praefertur, seu alias quomodolibet dispensatum fuerit in quibusvis litteris apostolicis, gratiam seu iustitiam aut mixtim concernentibus, de defectu huiusmodi mentionem facere minime teneantur, nec propterea de surreptionis vitio aut intentionis defectu ullo modo argui possint vel debeant.

Necnon rectoribus parochialium ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum curatorum, graduatis aut nobilibus quoscumque parochianos eorum utriusque sexus ab omnibus et singulis eorum peccatis et criminibus, in casibus, in quibus ordinarii locorum de iure vel consuetudine aut alias absolvere possent, et in illis, quae sedi praedictae reservata non fuerint, absolventi.

Et vota quaecumque per eos pro tempore emissa, praeterquam eidem sedi praedictae reservata, ut in alia pietatis opera commutare valeant; ac quibusvis, etiam ecclesiasticis personis, ut horas canonicas et officium divinum, secundum usum, ritum et consuetudinem Romanae Ecclesiae, soli aut cum uno vel duobus sociis dicere et recitare; ac quibusvis nobilibus presbiteris et graduatis, ut liceat eis habere altare portatile cum debitiss reverentia et ho-

nore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, etiam ante diem et in locis ecclesiastico interdicto auctoritate ordinaria suppositis, in sua et domesticorum suorum [442] praesentia, sine iuris alieni praeiudicio, possint facere celebrare.

Ac quibusvis personis ecclesiasticis, non tamen regularibus, [ut] de bonis suis, etiam undecumque, licite tamen, acquisitis, testari valeant, iuxta formam quinterni cancellariae; ipsisque et regularibus de consensu superiorum, et quibuscumque aliis personis, ut confessorem idoneum, seu confessores idoneos eligere possint, qui eos et eorum quemlibet, etiam in casibus Apostolicae Sedi reservatis, semel in vita et in mortis articulo, alias totiens quotiens, etiam iuxta formam in quinterno cancellariae annotatam, absolvere possint; ac etiam [ut] ad quinquennium, iuxta formam paenitentiariae dari solitam, et tempore interdicti, missas et alia divina officia audire illisque interesse valeant, dummodo causam non dederint interdicto; quodque singulis quadragesimalibus et aliis anni diebus et temporibus, quibus esus carnium, butiri, ovorum et aliorum lacticiniorum est prohibitus, butiro, ovis caseo et tempore necessitatis, de utriusque medici consilio, carnibus utendi, vescendi et fruendi.

Necnon quod unam, duas vel tres ecclesias, seu unum, duo vel tria alia civitatum seu locorum, in quibus petentes stationes moram trahere etiam pro tempore contigerit et quae duxerint semel vel pluries eligendi, eisdem quadragesimalibus et aliis anni diebus et temporibus, quibus stationes in Urbe et extra eius muros celebrantur, visitando, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, quas visitantes singulas dictae Urbis et extra eam existentes ecclesias, pro stationibus huiusmodi consequendis visitari solitas, consequuntur, consequi.

Necnon quibuscumque religiosis, ut de eorum ordine ad parem vel strictiorem ordinem, petita ab eorum superiore licentia, licet non obtenta, se transferre; vel si alias etiam ad alium latiorem ordinem translati fuerint, ut in eis remanere et nova loca recipere valeant, eadem auctoritate licentiam et facultatem concedendi pariter et indulgendi; ac vota quaecumque per quascumque personas terrarum et dominiorum praedictorum emissas, liminum Apostolorum Petri et Pauli, sancti Iacobi in Compostella et ultramarinae [peregrinationis] ac ingressus religionis et perpetuae continentiae votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi.

Necnon quaecumque iuramenta ad effectum agendi, etiam in iudicio, et experiendi, vel etiam simpliciter, si tibi videbitur expedire, dummodo alicui exinde maximum non fit periculum seu praeiudicium, dicta auctoritate relaxandi; ac quascumque personas, tam ecclesiasticas quam saeculares, quae periurii reatum incurrisse, ab eo absolvendi et ad priores honores, statum et famam restituendi et plenarie reintegrandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam [443] sive notam, etiamsi aliqui forsitan beneficia ecclesiastica curata vel alias incompatibilia post et contra constitutionem faelicis

recordationis Ioannis papae vigesimi secundi, quae incipit "Execrabilis"⁷⁵, aut si alia beneficia, quae presbiteratus vel alium ordinem requirent, si ad ordines huiusmodi promoti non fuerint, vel quacumque alia de causa, etiam si postea beneficia ipsa detinuerint et detineant, fructus exinde indebet percipiendo, praemissorum occasione per eos contractam, absolvendi, dictaque beneficia eis, facta tamen de fructibus per eos male perceptis debita compensatione pro camera praedicta, de novo conferendi.

Et quoscumque, qui in clericos presbiterosque, non tamen pontificali dignitate praeditos, etiam ad membra mutilationem, seu sanguinis effusionem et mortem, manus violentas temere inieciissent, seu arma et alia prohibita ad infideles detulissent, seu etiam deferri fecissent; et illos, qui per saltum aut ante legitimam aetatem vel tacito natalium seu quocumque alio defectu, vel ad fictum titulum, seu aliqua alia de causa irregularitatis crimine illaqueati, aut a non suo ordinario, sive extra tempus a iure statutum, ad dictos ordines se promoveri fecissent; necnon quoscumque religiosos quorūcumque ordinum, qui ob sui habitus non delationem vel alias reatum apostasiae incurrisse; ac illos etiam beneficia ecclesiastica obtinentes et in dictis ordinibus constitutos, qui horas canonicas et divinum officium recitare omisissent ac debito tempore non recitassent et inadvertenter dixissent, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, ab excessibus et obmissionibus huiusmodi ac excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas propterea iuxta sacrorum canonum et ordinum eorum regularia instituta incurrisserint, absolvendi.

Omnemque inhabilitatis et suspensionis, etiam occasione cuiuscumque irregularitatis, quomodolibet, praeterquam ratione homicidii voluntarii aut bigamiae, contractae, absolvendi.

Et cum eis et qui ad latiorem ordinem de facto translati fuerint, [ut] remanere et in sic susceptis ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare, et per eos obtenta beneficia retinere, ac quaecumque, quotcumque et qualiacumque invicem, ut praefertur, etiam quomodocumque qualificata beneficia ecclesiastica, si sibi alias canonice conferantur, recipere; non promoti vero ad dictos ordines alias rite se promoveri facere, libere et licite valeant, dispensandi.

Necnon visitantibus quascumque ecclesias saeculares vel regulares, ac etiam ad illarum fabricas, seu pro conservatione instaurationeque earundem, in quinque festivitatibus dumtaxat, necnon pro redemptione captivorum totiens quotiens manus porrigitibus adiutrices, decem [444] annos et totidem quadragenas, vel infra dictum vel aliud tempus, de quo tibi videbitur, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxandi.

Necnon omnibus et singulis christifidelibus huiusmodi, vere poenitentiibus et confessis, seu verum confitendi propositum habentibus, qui in Lithuania-

⁷⁵ Bulla edita 19 XI 1318; cfr. Ioannis papae XXII, *Extravagantes*, tit. III: *De praebendis et dignitatibus*.

niae seu Moskoviae ducatis huiusmodi quattuor missis vel earum alteri, per te vel alium, ubi tibi videbitur, celebrandis interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam concedendi; omniaque et singula, quae maior poenitentiarius noster de Urbe, etiam de speciali et expresso mandato nostro et sedis praedictae, tam vigore sui officii, quam facultatum sibi per Romanos Pontifices, etiam predecessores nostros ac sedem praedictam concessarum, ac ex consuetudine hactenus observata, quomodolibet facere potest, et aliis etiam cum omnimoda legati de latere facultate, exercendi, faciendi, mandandi, ordinandi, declarandi et decernandi per te vel alium, seu alios, auctoritate apostolica praedicta, tenore praesentium facultatem concedimus.

Non obstantibus defectibus, tam iuris quam facti, omnibus et singulis, quos pro expressis habentes, eadem auctoritate supplemus, et aliis praemissis ac Lateranensis, Viennensis, Pictaviensis aliorumque conciliorum⁷⁶, necnon bonae memoriae Bonifacii papae octavi, per quem concessiones percipiendi fructus in absentia huiusmodi sine praefinitione temporis fieri ac etiam nova loca mendicantium recipi ac iam erecta mutari prohibetur⁷⁷, ac etiam de una et duabus dictis in concilio generali edita, ac (^dHonorii⁷⁸ et Romanorum pontificum^d), praedecessorum nostrorum, et aliis apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis, generalibus et specialibus, per nos et sedem praedictam pro tempore factis constitutionibus et ordinationibus, statutis quoque et consuetudinibus et ordinationibus, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, monasteriorum, universitatum, collegiorum, civitatum necnon congregationum et ordinum quorumcumque, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, etiam et de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis, aut ab alio, vel aliis, impetratis, seu alias quomodolibet concessis; non utendo personis, quibus indulsum de fructibus percipiendis in absentia, et aliis praemissis huiusmodi concessum fuerit, praestitissent hactenus, vel in posterum forsan praestare contigerit iuramentum; necnon quibusvis privilegiis et indulgentiis, etiam in favorem edificii Basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac cruciatae, generalibus vel specialibus, quae in praemissis obstarent quovis modo, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa [445] vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae quoad hoc cuiquam nullatenus volumus suffragari, et quibus omnibus ac fundationibus quibuscumque, prout expediterit secundum rei et causae exigentiam, opportune valeas derogare.

⁷⁶ Agitur de dispositionibus conciliorum generalium Lateranensis III (1179) et Viennensis (1311), necnon celebris synodi provincialis Pictaviensis, a. 1100 celebratae, quae multa decreta ad disciplinam cleri spectantia edidit.

⁷⁷ Cfr. *Librum Sextum Decretalium* Bonifacii VIII (1294-1303), a. 1294 editum.

⁷⁸ Agitur sine dubio de Honorio III (1216-1227), cuius *Compilatio Quinta Decretalium* omnes has normas continet.

Quodque si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitio- nem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, qui- bus omnibus personae, quibus per te de beneficiis praedictis providebitur, in illorum assecutione anteferantur, sed nullum per hoc eis quoad assecutio- nem beneficiorum aliorum volumus praeiudicium generari, sed si locorum ordi- nariis ac collatoribus et collatricibus, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis eccl- esiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri, seu commenda fieri, per littaras apostolicas, non facientes plenam et expressam nominationem ac de verbo ad verbum de induito huiusmodi mentionem, et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel tota- liter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet aut differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Volumus autem et dicta apostolica auctoritate decernimus, quod singu- lae concessiones et facultates per te concedendae, absque insertione praesen- tium litterarum tibi concessarum huiusmodi, valeant, et eis, quibus illas te concedere contigerit, suffragentur in omnibus et per omnia, ac si in singulis litteris gratiarum per te faciendarum facultates tibi concessae huiusmodi de verbo ad verbum insertae fuissent.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo decimo nono, Kalendis Novembbris, pontificatus no- stri anno septimo⁷⁹.

Registrata in Camera apostolica Baltasar de Piscia

Albergatus⁸⁰

⁷⁹ Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, die Veneris, vi- cesima prima mensis Iunii, auscultata et collacionata per me Albertum Ia- cobi de Cruschevo, clericum Gneznensis dioecesis, sacra apostolica auctorita- te notarium publicum, et concordat cum originali bulla de verbo ad verbum,

⁸⁰ Extensio harum facultatum pro regno Poloniae data erat Zachariae Ferreri 7 VII 1520 (cfr. infra, N. 28), rege Sigismundo postulante (cfr. Wojtyska ANP I, p 343).

⁸⁰ Vianesius Albergati († 1532), Bononiensis, protonotarius apostolicus, scriptor litterarum secre- tarum, collector denarii S. Petri in regno Hispaniae a. 1520-1522.

de quo praesentibus fidem facio. Praesentibus ven.libus dominis Alberto Jęszykowskij, plebano in Lowycz et Mathia Perzynski, canonico Unijeyoviensi et notario dicti Legati^{e)}.

- | | |
|--|---|
| a) <i>Reg. Vat.: Mascoviae, reg. AGAD: Mazoviae.</i> | d-d) <i>Reg. Vat. et reg. AGAD: Honorii tertii, Ro-</i> |
| b) <i>In textu: accolittj.</i> | <i>manorum pontificum,</i> |
| c, c-c) <i>Adscriptum in margine.</i> | e-e) <i>Manu eiusdem Alberti Iacobi de Krusze-</i> |
| | <i>wo.</i> |

N. 12.

Leo X, pontifex maximus
Ioanni de Tedaldis

Romae, 2 XI 1519.

Commitit ei, consanguineo suo, linguam ac peritiam rerum Polonicarum callenti, ut una cum Z. Ferreri in Polonię se conferat, ac - si regi ita visum fuerit - nuntium istum in Moscoviam praebeat, magni ducis Basiliī assensum pro illa missione petiturus vel saltem ad pacem cum rege Poloniae ineundam adhortaturus, quibus expletis recta Romam redeat, rationem peractorum redditurus.

Cop. coaevae: Kraków, BJ, ms. 6548 p. 692-693.

Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 210v-211r.

Ed.: Działyński AT V, p. 187-188 (ex codice olim Rogalinensi).

Dilekte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex instructione, quam venerabili fratri Zachariae, episcopo Gardiensi, ad char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae regem illustrem, nuntio et oratori nostro, fieri et cuius copiam tibi dari mandavimus, apertissime intelliges, quid apud eundem regem fieri et cum eo tractari velimus⁸¹. Tu igitur, qui nationum illarum linguam calles et locorum peritiam tenes multiplique rerum experientia polles⁸², iuxta prudentiam dexteritatemque tibi a Domino concessam, dicto Zachariae, episcopo et nuntio, fidei consilio et opera assistes; amboque simul curabitis, ut desideria nostra eum, quem speramus, iuvante Domino, sortiantur effectum.

Postquam igitur apud eundem regem commissa vobis diligenter executi fueritis, ipsique regi visum fuerit, ut ad ducem Moschoviae, eius animi explorandi causa, te conferas, tu cum benedictione nostra iter suscipes et ad dic-

⁸¹Cfr. N. 9.

⁸²Vide Introductionem, p. VII.

tum ducem proficisceris. Quo cum perveneris, ipsum debita cum reverentia et humanitate alloqueris, nobisque de sancto eius orthodoxam fidem agnoscendi ac debitam nobis et huic Sanctae Sedi oboedientiam praestandi et cum dicto Sigismundo rege perpetuam pacem faciendi proposito relatum fuisse dices, nosque propterea eidem Zachariae, episcopo et nuntio, mandasse, ut si tali animo sit praeditus, ad eum se transferat eique nostram ac dicti regis mentem declararet⁸³. Si ergo ipsum ducem circa praemissa bene dispositum esse ac dictum episcopum et nuntium libenter audire velle cognoveris, ab eo requires, ut de sufficienti salvo conductu veniendi, standi ac redeundi ipsi eiusque necessariae comitiae provideat. [693] Quodsi praefatum ducem ad veram Christi fidem agnoscendam oboedientiamque nobis et dictae Sedi Apostolicae praestandam minime inclinatum esse, nec ab aliquo persuaderi posse intelliges, nihilominus efficere curabis, ut cum dilecto Sigismundo rege inducias, quas idem rex optaverit, et de quibus speciale tibi commissionem dederit, ineat. Quibus initis et peractis, redditum ad nos parabis, interimque nos de omnibus et singulis praemissis certiores reddere non praetermittes. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die secunda Novembris, [anno Domini] M^oDXIX^o, pontificatus nostri anno septimo.

N. 13.

Leo X, pontifex maximus
Alberto, magno ordinis Theutonicorum magistro

Romae, 7 XI 1519.

Certiorem eum facit Zachariam Ferreri et Ioannem de Tedaldi solius pacis componenda gratia in illas partes missos esse et nihil contra eum agere in commissis habere.

Reg.: Berlin, GStAPK, XX, StA Königsberg, Ostpr. Fol. 43 f. 158v-159r.
 - Ed.: Joachim PHA II, p. 261 (cum omissionibus).

Dilecto filio, nobili viro Alberto, magno Prussiae magistro ordinis
 Teutonicorum

Leo papa X

Dilekte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Quod ven.lem fratrem Zachariam, eum Gardiensem, et dilectum filium Iohannem de Thedal-

⁸³ Cfr. instructionem Ferrerii, ut supra, N. 9.

dis, nunccios [sic] nostros, ut ex aliis nostris intelliges⁸⁴, ad partes istas mittimus, in causa est, quod persuasum est nobis id plurimum commodi, rerum tranquillitati ac paci expedire. Ne autem aliqua apud te suspicio oriatur (id enim nonnulli fere arbitrantur, quod te inscio mittuntur, quod nonnullos plurimumque te forte convenient), scire te volumus nihil illos contra te aut tuos acturos esse (sic enim illis expresse mandavimus), sed laboraturos tamen, ut quicquid de consensu parcium fieri poterit, controversiae et simultates istae concorditer et amice componant. Datum Romae, apud [159r] Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII Novembbris MDXVIII, pontificatus nostri anno septimo.

N. 14.

**Erasmus Ciołek, episcopus Plocensis
Sigismundo I, regi Poloniae**

Romae, 25 I 1520.

Varia, quae de lite regis cum ordine Theutonico apud pontificem egit, communicat et expeditius epistularum commercium postulat, ne res Polonicae detrimentum in curia Romana capiant. Describit controversiam suam cum N. a Schönberg coram pontifice habitam de eius erga Cruciferos propensione et illorum causae apud Sedem Apostolicam promotione ac ne Z. Ferreri et I. de Tedaldis in Polonię nuntii mittantur, una cum Martino Rembiewski, agente archiepiscopi Łaski, conspiratione. Refert ea, quae I. L. Decius et I. Oporowski ipsi rettulerunt de istius Rembiewski machinationibus et quomodo is Venetiis a prosequendo in Polonię itinere nuntios deterrere conatus sit. Notum facit, quomodo nuntii isti Venetiis honorifice sint excepti et quomodo ipse eos docuerit, ne primarias causas illorum missionis senatui Veneto aperirent. Sperare se dicit illos ad 2 II 1520 ad regem per venturos esse, eosque ipsi commendat.

Cop. coaevae: Kraków, BJ, ms. 6548 p. 575-592;
Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 149v-154v.

Cop. XIX saec.: Kórnik, BPAN, ms. 224 f. 122v-132r.
- Ed.: Działyński AT V, p. 149-154.

[Gratias agit pro 4 epistulis, quas Iodocus Ludovicus Decius die 3 I 1520 Romam attulit, quae rumores de exercitus Polonici a Tartaris, Moscis et Ordine Theutonico expugnatione dissipaverunt. Notum facit, quomodo ipse causam

⁸⁴ Agi videtur de litteris commendatitiis, cfr. supra, N. 5. Die praeterita, 6 XI 1519, pontifex emanavit aliud breve ad Albertum, quo sub pena excommunicationis illi mandat, ut visitationem et reformationem ordinis Theutonicorum incipiat (ed. Joachim PHA II, p. 260-261).

Pruthenicam pontifici, tam inter ludum scaenicum, quam postea exposuerit, Leone X gesta regis approbante]. Addebat praeterea sua Sanctitas, quod ex tempore nuntios suos ad v.ram Maiestatem miserit, optimam in eis spem reponendo, quod omnes has discordias complanare debeant. Et plura ad rem hanc. [577] Expectabitur hic in horas novum aliquod, quem tandem finem cum his fratribus v.ra Maiestas constituet. Ego vero talem cuperem, ut plantata nova vinea, fidis et operosis agricolis eam collocet, qui alium fructum afferent⁸⁵. Sic prudentissimi illius Ferdinandi, Hispaniarum regis, vestigis infinitetur, qui similibus magistris abolitis, ut nulla eorum amplius remaneret memoria, in se et successores omnes suos, perpetuum transtulit magisterium⁸⁶. Super quo nuper scripsi v.rae Maiestati de principio huius mensis per postam ill.mae ducissae⁸⁷, ad quae me refero. Hoc unum repetere volui, ut quam primum hic de progressu actionis istius⁸⁸ significetur. Primi enim motus in talibus optimam partem amplecti solent, dum ipsi⁸⁹ pro parte sua nihil negligunt.

[De expeditione bullae confirmationis Pacis Toruniensis anni 1466 iam se mensibus Iulio et Augusto scripsisse affirmat, et ex eo, quod pecunia non fuit ad tempus adportata, dilationem negotii accusat. Desiderat novas instructiones quoad aliqua eiusdem tractatus pacis capitula et clausulas, quas pontifex et protector ordinis, card. Julianus de Medicis, reformare velint. Proponit celebriorem, sumptuosiorem tamen, viam epistulas transmittendi per mensarios, qua iam misit] brevia illa ad salvandum Iubiluem in regno⁹⁰, et nuper [579] breve possessionis episcopatus Vilnensis⁹¹, pridie etiam fasciculum de finali expeditione nuntiorum papae et exitu ipsorum, [nam] quae huc per viam banci in quattuordecim diebus afferuntur, per alios missa vix in quadraginta diebus ad manus meas pervenient.

[Iterum petit, ut] [580] informatio illa de capitulois reformandis sine ulla dilatione hoc transmittatur, aut si forte novi aliqui tractatus et conclusiones cum magistro intervenerint. Ipse enim per germanos suos, quos hic tenet⁹², et fratrem Nicolaum Schemberk⁹³, qui totus est pro eo, vigilat in rebus suis et qualibet fere hebdomada mittit suos ad curiam, aut scribit multa fingendo, querelis variis intermixtis. Quibus omnibus pro possibilitate resisto. Sum

⁸⁵ Paraphrasis parabolae apud Matth. 21, 33-41.

⁸⁶ A. 1482 Ferdinandus, dictus Catholicus, incorporavit Coronae Regni Hispaniae ordinem militarem S. Iacobi de Calatrava, fundatum a. 1158 pro debellandis Mahometanis, ac sibi et suis successoribus titulum et officium magni istius ordinis magistri reservavit.

⁸⁷ Scilicet Isabellae de Aragona Sforza († 1524), ducissae Barii, matris reginae Bonae. Litterae haec Erasmi non inveniuntur.

⁸⁸ Conflictus bellicus Sigismundi I cum Ordine Theutonico, coepitus est exeunte Decembre 1519, cfr. Biskup WP, p. 90.

⁸⁹ Scilicet Cruciferi.

⁹⁰ Registrum bullae, datae de hac re 12 I 1520, invenitur in AV, Reg. Vat. 1200 f. 335r-336r.

⁹¹ Quem adeptus est Ioannes e ducibus Lithuaniae, filius naturalis regis Sigismundi, qui iam 23 IX 1519 provisionem illius episcopatus in consistorio obtinuit, cfr. Korzeniowski AR, p. 82.

⁹² Ioannem Albertum et Gumbertum, de quibus cfr. supra, N. 9.

⁹³ Schönberg, cfr. N. 1.

enim saepius illic, ubi dicti fratres magistri intrare non possunt, et datur tempus liberum ista confutandi.

Ausus est idem frater Nicolaus, quod secretius dictum sit, in fine Aprilis praeteriti mihi dicere: noluit rex vester concordare^{a)} cum magistro, videbitis quae ista aestate fient, et tunc libenter concordaretis, sed iam non erit modus. Ad quae bene sibi fuit responsum, quamvis tunc parum considerare poteram, ad quid prophetiam hanc referret. Sciebam enim pacem aliquot annorum per eum constitutam inter Maiestatem vestram et magistrum⁹⁴, et ideo nihil ante hoc scribere visum fuit. Nuper vero, dum venit huc novum in fine Novembbris, quod v.ra Maiestas pararet exercitum validum contra magistrum, de quo hic mira praedicabant, vidi fratrem eundem in camera papae^{b)} stantem, depresso vultu et cogitabundum. Qui postea ad me accessit et inquirebat de preeparatione eadem, et quod iam v.ra Maiestas de Cracovia exivisset⁹⁵, quae multis rationibus reprobabat. Repetii ego dicta illa sua prima et quod in aestate praeterita bene provisum fuit, tam Moscorum insultibus, qui in Lithuania pulsi et fusi sunt, quam Tartarorum praedationibus, qui etiam a finibus regni retrocedere coacti fuerunt; et quod haec omnia ex magistri suggestione facta sunt, prout ipse praedixerat. Coram quo satis exprobratum [581] est, quod talia incitamenta infidelium contra principem christianum non bene liceant tanto praelato, religioso crucesignato, qui alias ex debito professionis suae teneretur contra infideles arma sumere.

Quem etiam tunc quaesivi, si superesset modus regi nostro ad resistendum tot magistri insolentiis, iam enim aestas transiit. Subiratus fuit ipse admodum et damnabat temerarie v.rae Maiestatis transitum, et quod tota Germania ordini assistere deberet. Ad quae etiam bene replicatum fuit, repetita illa avi sui victoria, qua Germanos et ordinem hunc simul bene castigaverat⁹⁶. Dixi etiam de foedere pacis, quod^{c)} ipse inter v.ram Maiestatem et magistrum ad aliquod^{d)} annos constituerat⁹⁷, an ita facere licuisse, qui tunc nuntium suae Sanctitatis gessit? Magister vero, fide fracta, omnia quae inimicum attinebant non omisit, captivando, obruncando et universis iniuriis afficiendo subditos regios. Et nunc, peditatu multorum millium ex Germania collecto, terras regias aggredi voluit, nisi duces Pomeraniae⁹⁸ et alii boni vicini regni impedivissent. Licuitne amplius Maiestati regiae ista tollerare?

Inceperat vociferare monachus. Et tunc vocabatur ad cardinalem suum⁹⁹. Pontifex vero, me advocato, quaesivit de omnibus, quae cum fratre Nicolao

⁹⁴ 23 I 1519 Schönberg obtinuit Cracoviae a rege Sigismundo promissionem tantum ineundarum biennalium indutiarum, cfr. Biskup PZK, p. 549.

⁹⁵ Rex reliquit Cracoviam 16 XI 1519 et 2 XII Toruniam advenit, cfr. Gąsiorowski, p. 262.

⁹⁶ Insignis Victoria prope Grunwald (Tannenberg), 15 VII 1410 a rege Vladislao Jagellone, Sigismundi I avo, de ordine Theutonico reportata.

⁹⁷ Cfr. supra, annotationem 94.

⁹⁸ Boguslaus X († 1523) eiusque filius Georgius I († 1531), qui ne exercitus, conductus ex Germania a Theodorico, fratre Nicolai a Schönberg, per Pomeraniam transiret obsistebant, cfr. Biskup PZK, p. 590.

⁹⁹ Iulium de Medicis († 1534), Leonis X ex fratre nepotem, postea (ab a. 1523) summum pontificem Clementem VII?

contulisse. Notabat enim gestus utriusque subiratos. Ubi tunc Sanctitati suae singula magis abunde explicaveram. In fine frater Nicolaus non aliter quam pro hoste reputatur. Et ita ego pontifici persuasi, ut dicta sua contra Maiestatem v.ram ita semper accipiat, ut unius de religione magistri, apud quem duos germanos suos habet¹⁰⁰, et quod ista causa fuerit, quare v.ra Maiestas nunquam de eo confidere poterat. Plurimum sibi displicet, quod illi nuntii, eo contempto, ad v.ram Maiestatem missi sunt. In quo ipse [582] multa nectebat impedimenta simul cum nostris.

[Desribit, quomodo, se iam iter Neapolim parante pro residua dotis regiae Bonae medietate recuperanda, advenerit mgr Tuliszkowski cum litteris regiis, quibus ipsi committebatur, ut extensionem bullae indulgentiarum iubilei ad Lithuaniae quam primum obtineret. Huius ergo rei perficiendae causa bis se pontificem adiisse omniaque pericula, quae dicto ducatui a Tartaris et Turcis imminent, ipsi exposuisse et bullam tandem impetravisse scribit, quam praesentibus adiunctam mittit, petens ut parochi serio moneantur, ne torpidi sint in ea publicanda. Notum facit se bullam provisionis episcopatus Camenecensis pro Laurentio Międzyleski obtinere non potuisse, deficiente pecunia pro expensarum solutione; item id, quod in mandatis habuit, ut I. Zambocki et F. Czuryło de praebenda Cracoviensi concordare studeant, nihil valuisse et litem iudicialiter in Rota Romana decerni debere; se etiam omnia, quae potuerit fecisse, ne duo conventus ordinis Praedicatorum a provincia Polona in Theutonicam transferrentur].

[588] Meminit iterum v.ra Maiestas in calce litterarum suarum per Iodocum¹⁰¹ allatarum, quod nuntii Sanctitatis^{e)} suae ad v.ram Maiestatem designati hucusque non comparent et ut exactam operam adhibeam pro celeriori eorundem expeditione. Quamvis ab illa hora, qua primas litteras suas in ea materia^{f)} suscepī¹⁰², nunquam destiti facere diligentias debitas, prout ad fidum servitorem v.rae Maiestatis pertinebat. Etiam ex aliis meis plane intellexit, quae impedimenta circa hoc^{g)} habuerim et per quos, ut primo designatus episcopus, tot periculis deterritus (quae sibi nostri praedicabant), provinciam hanc eundi repudiaverit¹⁰³, cum magna certe indignitate mea, aut potius istius, cuius personam hic repreaesento.

Postquam tamen venit huc novum istud de magistri tumultuatione et quod dominia v.rae Maiestatis cum valida manu fuisset ingressus, revera die ac nocte nihil aliud agebam, tum cum pontifice, tum cum domino Medices et Cibo, qui plura apud Sanctitatem suam possunt¹⁰⁴, solum ut hi nuntii celebrius fuissent expediti. Neque credet v.ra Maiestas, quibus verbis cum Sancti-

¹⁰⁰ Nicolaus a Schönberg habuit apud cruciferos 4 fratres, Theodoricum, Ioannem, Antonium et Ioannem Iuniorem, ex quibus Theodorus († 1525) fuit campiductor et consiliarius principalis magni magistri Alberti, cfr. Joachim-Hubatsch RHD, I/3 passim.

¹⁰¹ Iodocus Ludovicus Decius († 1545), Severini Boner nepos, secretarius regius.

¹⁰² Epistula haec non invenitur.

¹⁰³ Fuit is Petrus Flores, epus Castelli Maris, cfr. supra, N. 2.

¹⁰⁴ Cardinales Iulius de Medicis et Innocentius Cybo († 1550), Leonis X ex sorore nepos.

tate Domini Nostri certaverim, aut [589] potius contenderim, ut interdum ad indignationem usque tam benignum et humanissimum dominum conducere oportuerit. Quae dilationes omnes malignitate Martini Rambieski¹⁰⁵ per fratrem Nicolaum nectebantur, ut nunc clarus post suum hinc discessum exploratus sum, qui cum eo saepius erat in consultationibus secretis. Dumque ego nuper inquirerem fratrem Nicolaum, quid cum eo egisset, dixit illum negotia sola archiepiscopi¹⁰⁶ curare. Et Iodocus huc veniens retulit, quo modo idem Martinus multa dixerit cum eo Venetiis de eisdem nuntiis missis, quod male factum esset, et quod frater Nicolaus saepius eum interrogaverit, si est regia voluntas, ut pontifex nuntios mitteret, quos orator cum tanta diligentia sollicitat mittendos¹⁰⁷. Et plura in rem hanc. Unde facile notari potest, quae cum eodem fratre hic egisset. Quam primum nuntii exiverunt ex Urbe, exivit et ipse, et Bononiae forte insequutus est ipsos. Quibus continue ista, quae hic Romae solebat, praedicabat, sine ulla consideratione domini et patriae suae, quemadmodum hi retulerunt, qui Romanum venientes habuerunt eos obvios et aliquot diebus cum ipsis commorati sunt.

Scribit praeterea ad me d.nus Oporowski¹⁰⁸ ex Venetiis de 26 Decembris, quod idem Martinus et sui complices tantum mali de regno coram eisdem nuntiis dixerunt¹⁰⁹ super difficultate itinerum et periculis variis, et quod fratri Nicolao unico eungi plus pro expensis papa providerat, quam illis ambo bus in tanta comitiva, et quod nullam provisionem a Maiestate v.ra expectare deberent; ac plura ad hunc effectum; et quod ille episcopus tot malis relationibus et irritamentis ita fuerit perculsus et concitatus, ut redire Romanum ex Venetiis proposuerit, nisi fuissest tanta constantia alterius collegae¹¹⁰, qui regnum ante viderat et scit, qua humanitate et beneficentia v.ra Maiestas oratores tractare solet. [590] Cui neque dominus Oporowski, neque alii viri boni quidquam in contrarium persuadere poterant, omnino redire voluit, si domini militis longa de regno experientia et integerrima mens non^{a)} profuisset. Scribit tamen dominus Oporowski, quod pessime contentus et pene desperatus idem episcopus iter continuat.

Quae omnia ex eodem domino Oporowski plenius v.ra Maiestas accipiet. Sciet enim et ea singula ad latum referre, quae per tales nebulones Romae in

¹⁰⁵ Martinus Rembiewski († 1528), aepi Ioannis Łaski ex sorore nepos, "cortesanus" Romanus, pro visione pontificia canonicus Cracoviensis, postea cancellarius Gnesnensis.

¹⁰⁶ Ioannis Łaski.

¹⁰⁷ De hac re scribebat Nicolaus a Schönberg fratri suo Theodorico, Florentia 28 IX 1519, per se non stare, ut ipse in Poloniam et Moscoviam mittatur, scire se regem velle alium. "Ich vorsehe mich Bestliche heyligkeyt werde in kurcz und nicht uff eure ader meine anregunge ymandt schicken in diesem handel in Polen und Preussen, och in die Muscka schicken, und solchem befel nach werden sich di pardt an meinen radt wol wissen czu handeln. Doch sage ich alle wege, das fride mit verlost besser ist den krig mit czweifel des gewinst. In summa ich wolde wartlich m. g. h. und euch gerne dinen, so vormag es ich doch worlich nicht". Joachim PHA II, p. 257-258

¹⁰⁸ Verisimiliter Ioannes Oporowski († 1540), castellanus Brestensis.

¹⁰⁹ Zacharias Ferreri et Ioannes de Tedaldis advenerunt Venetias die 22 XII 1519, ibique aliquot diebus commorati sunt, cfr. Sanudo XXVIII, col. 134.

¹¹⁰ Scilicet Ioannis de Tedaldis.

displacentia v.rae Maiestatis acta sunt, et fide oculata ostendet. Profecto si alterum adhuc episcopum a transitu deterruisset, et is Romam ex Venetiis rediisset, quae levitas ad primam illam accrescere debuit, V.ra Maiestas optime considerare potest, et deberet merito tantos excessus castigare, ut alii hic a displacentiis similibus abstineant. Defert secum multa contra servitores Maiestatis v.rae, corruptionibus et clandestinis expeditionibus extorta, ut maioris sui mandatis pareat¹¹¹. Cui Maiestas v.ra, pro tot excessibus iusta indignatione palam ostensa, posset deinde servitores suos evincere modis, quos ante descripsi; et ista etiam diversione, ut ius conferendi praebendum Cracoviensem et parochiale in Proschovicze variet (quae semper saeculari licent)¹¹² et in aliud conferat, dum ipsi iura Maiestatis v.rae et servitorum suorum ita pessundant in dies. Et nisi insolentia haec radicitus illuc extirpetur unde ortum habet, frustra erit hic talibus medelam quaerere, ut nuper in aliis litteris memineram. Sed vereor, quod v.ra Maiestas plus intercessores attendet, quam suam aut suorum iniuriam, et alii ad similia vel peiora animabuntur.

Venerunt Venetas nuntii ipsi aliquot diebus ante festa Natalitia¹¹³, ubi per senatores verbis honorifice fuerunt excepti et in palatio ducis Ferrariae collocati ac omnibus liberaliter provisi. In festo Sancti Stephani¹¹⁴ [591] haberunt audientiam apud ducem¹¹⁵. Et ille episcopus in oratione sua, quam a pontifice ad senatum habuit, dum meminisset avisamenti regis Dacie super devotione proposita Moscoviae ducis, qua ad unionem Sanctae Romanae Ecclesiae venire cupit¹¹⁶, subito dux ipse et plures primores de consilio pro magna laetitia ad lachrimas uberes proruperunt. Ita enim per me informati sunt, ut hanc primam causam suae missionis praedicarent, secundam de beati Kazimiri verificandis miraculis, qui brevi cathalogo sanctorum adscribendus foret, ut per ista aliae duae commissiones, de concordia Mosci cum v.ra Maiestate et tandem magistri, cautius celari possent¹¹⁷. Et eam hic famam per totam Urbem spargere curavi, ut etiam in medio congregationis cardinalium, de Iulio super hac missione factae, inter articulos propositos videre potuit v.ra Maiestas¹¹⁸, quos ante cum litteris per Vithinie¹¹⁹ miseram. Multum enim indecorum visum fuit eam nudam causam texere transitus ipsorum, ut solum ad concordiam v.rae Maiestatis cum Mosco et magistro mit-

¹¹¹ Rembiewski res primatis Ioannis Łaski, qui Erasco Ciołek invitus erat, Romae curabat.

¹¹² Rembiewski haec beneficia, quae non laicis, sed Academiae Cracoviensis professoribus reservata erant, contra legem obtinebat.

¹¹³ Cfr. supra, notam 109.

¹¹⁴ 26 XII 1519.

¹¹⁵ Leonardus Loredan, dux (doge) Venetiarum a. 1501-1521.

¹¹⁶ Cfr. instructionem Ferrerio datam (N. 9).

¹¹⁷ Concordat hoc - excepta exaggeratione - cum eo, quod de ista audientia scribit Sanudo (XXVIII, col. 134).

¹¹⁸ Cfr. N. 2.

¹¹⁹ Ioannes Wityński, domesticus Erasmi Ciołek, postea (1535) "cortesanus" Romae, cfr. Pociecha AT XVII, p. 366.

ti debuissent. Ideo coram illo senatu duas tantum causas primarias suae missionis explicarunt. Et ita in publica audientia coram Maiestate v.ra facturi sunt, nisi forte v.ra Maiestas consultius crediderit, ut aliter isthic fiat. In quo per fidum aliquem eos praemoneri faciat, cuius votis parebunt¹²⁰.

Pransi fuerunt illa eadem die ad ducem cum magna celebritate et honorifica v.rae Maiestatis memoria. In die Sancti Iohannis¹²¹ legatus apostolicus, qui illic est¹²², eos similiter cum multis senatoribus splendide, ut scribunt, tractavit. Unde in Magistrum¹²³ altera die post Innocentium¹²⁴ traiecerunt, iter coeptum continuari. Credo ego, quod apud Maiestatem v.ram pro festo Purificationis¹²⁵ constituentur. Et istae tunc etiam advolare possunt. Comisi enim [592] celerrime eas deferri propter gratiam iubilei Lithuaniae, ut ante Quadragesimam publicetur et die Cinerum¹²⁶ incipiat faeliciter. Quos [nuntios] iterum gratiae Maiestatis v.rae enixius commendo, ut malignitas susurronum, qui eis pessima praedicabant, per effectus contrarios benignitatis et munificentiae suae solitae confundatur. Revera ambo viri boni sunt et recti, quorum servitio poterit uti v.ra Maiestas confidenter. [*Cras Neapolim proficiscetur*]. Romae, Mercurii, XXV Ianuarii, anno Domini M.D.XX.

a) *Adscriptum in margine.*

b) *Adscriptum supra unum verbum penitus expunctum.*

c) *Adscriptum supra, pro expuncto: quem*

d) *Correctum ex: aliquos*

e) *In ms.: M.tis*

f) *In ms.: Matheria*

g) *Repetitum.*

N. 15.

Zachariae Ferreri

ad Sigismundum I, Poloniae regem, oratio

Toruniae, 20 II 1520.

Exaltat personam et opera Leonis X papae, qui ab initio sui pontificatus pacificare et coadunare omnes christianos principes adversus Selimum, Turcarum imperatorem, conatur, indictis precibus et quinquennalibus initis inter eos induitiis. Exhortatur igitur regem, missus ex proposito pro hac re a pontifice, ut et ipse pacem cum Alberto, magno ordinis Theutonicorum magistro, componat, memor affinitatis vinculorum suaequae maioris potentiae ac stragum, quae innoxios afficiunt; sin minus, saltem arma suspendat, donec pontifex modum

¹²⁰ Cfr. N. 15.

¹²¹ 27 XII.

¹²² Altobellus Averoldi (1468-1531), epus Polensis ab a. 1497, nuntius Venetiis a. 1517-1523.

¹²³ Mestre, oppidum in continente, ad Venetas vertens.

¹²⁴ 30 XII.

¹²⁵ 2 II. Re vera advenerunt Toruniam 18 II 1520.

¹²⁶ A. 1520 feria quarta cinerum cecidit in diem 22 Februarii. Cfr. infra, annotationem 185.

pacis ineundae inveniat. Notum etiam facit pontificem sibi imposuisse, ut processum canonisationis beati Casimiri conficeret Romamque transmitteret; se-cretiora seorsim dicturus.

Redactio prima (originalis):

Or.: (duplicatum): Berlin, GSAPK, XX, OBA n. 23217 f. 1r-6r (cfr. infra, N. 20). In f. 6v eadem manu inscriptio: "Ill.mo Principi et Domino Alberto, ex marchionibus Brandenburgensibus, magno Prusiae magistro, Domino excellentissimo", quae repetitur etiam in obvolucro a parte, sigillum Ferrerii habente.

Redactio secunda (posterior):

- Ed. coeva:** Ferreri VBC f. [C8r-D6v].
 - **Cop. coaevae:** Kraków, BJ, ms. 6548 p. 699-707;
 Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 215r-220v.
 - **Cop. posteriores:** Kraków, BCz, ms. 262 p. 5-18;
 Kórnik, BPAN, ms. 223 p. 9-19.
 - **Ed.:** Działyński AT V 191-197 (cum mendis).

Rev.di in Christo patris et domini domini Zachariae Ferrerii, Vincentini, pontificis Gardiensis, Ss.mi Domini Nostri, domini Leonis, divina providentia papae X^{mi}, praelati domestici et referendarii, necnon ad ser.mum regem Poloniae oratoris, oratio habita Toruniae in Pruscia ad eundem regem, quod bellum in christianum principem intermittat et contra religionis hostes arma sumat. X Calendas Martias M.D.XX^a.

DUM EXCOGITO et mecum animo volvo, Sigismunde Rex ser.me, qualem modo principem allocuturus sim, propono mihi sublimium tuarum virtutum fastigia, excaelsas [sic] dotes, quibus te omnipotens Author prae caeteris excellentius decoravit. Pono ante oculos hanc tuam pene divinam maiestatem, formamque praesentissimam, magnitudinem animi tui, consilii gravitatem, rerum experientiam, amplitudinem, munificantiam, iustitiae cultum, providentiam in te summam, religionem maximam, quae passim circumferuntur et circumquaque praedicantur. Recenseo quoque vetustissimam illam sanctissimamque familiam tuam Casimiriam, quae veluti quoddam singulare praecipuumque munus ^{b-a} Summo Opifice ^{b)} mortalibus concessa est; quo fit, ut clarissimum conspectum [1v] tuum regiamque praesentiam non modo non magnopere speculari, verum etiam non satis admirari possim. Non minus etiam mecum pensito, quo dicendi genere te alloquar, an illa rhetorices facundia, quae sensum auresque demulcit, an illa oratoria virtute, quae mentem potius animumque oblectat, excitat et impellit. Videorque mihi, qui non tantum christianam religionem, sed et apostolicam perfectionem ut pontifex profiteor, satius imitari vas illud electionis, beatissimum Apostolum, qui ad Corinthios scribens inquiebat: Veni ad vos non in sublimitate sermonis, neque in persuasilibus humanae sapientiae verbis, sed in virtu-

te Dei et Spiritu¹²⁷. Habeant humanae sectatores eloquentiae quos imitentur: Demosthenem, Ciceronem, Sallustium; habeo ego sacerdos Christum, habeo divos Apostolos, habeo sacros Ecclesiae doctores et mei ordinis pontifices celebratissimos. Loquar ergo non ut rhetor, sed uti pontificem decet, uti decet sacerdotem, uti decet Dei ministrum.

Non latet tuam Maiestatem, Rex potentissime, exploratumque est apud omnes, septimum iam emersisse annum, quo seminatis dudum inter christianos principes dissidiis, tota ferme Europa atrocissimis bellis vehementissime concutiebatur et estuabat. Fervebat Italia, ardebat Germania, flagrabat [2r] Hispania, Gallia fluctuabat, Anglia excandescebat¹²⁸. Unde et (quod fari doleo) tanta christiani sanguinis effusio sequuta est, ut recte Davidicum illud memorari posset: Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Hierusalem (id est militantis Ecclesiae), et non erat qui sepeliret¹²⁹. Aeterna Dei sapientia, quae iuxta sacrum eloquium, attingens a fine usque ad finem fortiter, disponit demum omnia suaviter¹³⁰, non permittensque, iuxta eundem Apostolum, nos tentari supra id, quod sufferre possimus¹³¹, facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere, cupiens tot cladibus, tot calamitatibus christianorum benigne occurrere, Ioannem Medicem, Leonem decimum appellatum, non labe aliqua, non vi, non arte, non astu, non humano ingenio, sed sola Sancti Spiritus gratia ad summum pontificatus apicem de tot millibus hominum unum delegit¹³², qui veluti angelus pacis fluctuantem Ecclesiam et Christi cymbam pacaret, velutique salutaris medicus languescenti diu christiana reipublicae opportunum medicamen adhiberet. Quod et beatissimus antistes, inito mox pontificatu, omni studio, omni solertia, omni sagacitate efficere curavit [2v], prout et effect.

Tertius annus nunc agitur, quo Selim, Turcharum imperator et christiani nominis acerrimus hostis, quasi gladius quidam cervicibus christianorum imminere videbatur¹³³. Animadvertens sanctissimus pontifex ad tantum existium compescendum nullum efficacius superesse remedium, quam divinum in primis praesidium implorare, sanctissimas ad coelum tollens manus, ieiunia, ad Deum Optimum Maximum supplicationes pontificibus, sacerdotibus, senatui populoque Romano preecepit, easque deprecationes, quas litanias vocant, frequentari mandavit, inter quas ipsem et nudatis etiam pedibus per almam Urbem incedere non est dignatus¹³⁴. Et ne humanam quoque ope-

¹²⁷ 1 Cor. 2, 2 et 4.

¹²⁸ Belli meminit regis Galliae Venetorumque adversus Leonem X, imperatorem Maximilianum I et omnes ferme principes Europae occidentalis, medio anno 1513 flagrantis.

¹²⁹ Ps. 78, 3.

¹³⁰ Sap. 8, 1.

¹³¹ 1 Cor. 10, 13.

¹³² Leo X electus est pontifex maximus die 11 III 1513.

¹³³ Selim I, submissis sibi Arabicis principatibus Syriae, Palestinae atque Aegypti (1516-1517), Europam iterum invadere cogitabat.

¹³⁴ Romae istae precatioes diebus 12-14 III 1518 sollemniter fiebant, cfr. Pastor SP IV/1, p. 148-149.

ram parvipendere videretur, complures, quum pontificii tum cardinei ordinis, patres celeberrimos ad varios christianorum principes, ad varias nationes oppido expedivit, quo, si quae inter eos simultates forte exoriri timebantur, ad eas sive iure, sive armis decidendas, quinquennale intervallum interpone-return, intermissoque omni bello, communes christianorum vires communis-que potentia in communem religionis hostem, conciliatis animis, converte-rentur, necessarius ad id colligeretur nummus, generalisque contra impium tyrannum [3r] expeditio (quam cruciatam vocant) ubilibet vulgaretur¹³⁵. Quod et pro sua maxima integritate facile obtinuit^{c)}. Posuit enim pacem fi-nes Ecclesiae¹³⁶ et dulci illam tranquillitate potiri fecit. Iam pace fruitur Ita-lia, iam quiescit Germania, Gallia, Hispania, Anglia, in totoque christiano-rum ambitu iucunda arridet concordia.

Unus superest, de quo cum christiano principe¹³⁷ congressus expavesce-batur, tu scilicet, Rex amplissime, quem quum ipse Romanus pontifex ad eas intermittendi belli quinquennales inducias capescendas crebris epistolis dudum exhortari^{d)} non destiterit¹³⁸, noluit quoque praetermittere, quin et nuntiis et oratoribus paterne inviseret et salutaret, ad idque faciendum plu-rium suaderet et hortaretur^{e)}. Quod ita accurate mandavit, ut etiam non sine lacrimis, pro boni pastoris offitio, quum abscederemus, id nobis creber-ri me repetierit: Pacem, aiebat atque iterabat sanctissimus antistes, quum postremum ad te accedendi ab eo mandatum habuissemus sacrosque de mo-re oscularemur pedes, pacem, quam Christus, Deus et Legifer noster, nobis suo testamento legavit, char.mo filio nostro Sigismundo, Poloniae regi illus-tri, commissam facite; ad pacem cum christiano principe perquirendam nos-tro iussu^{f)} animate; utque illam, quam de ipsius [3v] comprobata religione haec Sancta Sedes, cui praesidemus, spem iam dudum concepit, nequaquam irritamque efficere velit, nostro nomine dicitote. Sed quoniam interea, dum ad tuam Maiestatem noster ab Urbe parabatur accessus, ignaro pontifice, ignaris nobis, id quod verebamur evenit¹³⁹, si primum ad illud quinquennale intervallum amplectendum te enixe rogare oportebat, nunc, quandoquidem malum incoepit magisque ac magis quotidie invalescit, non tantum enixe, non modo enixius, verum etiam enixissime praecari et supra humanum mo-dum interpellare necesse est.

Divus itaque Leo, pontifex maximus, qui Dei et Domini nostri Jesu Chri-sti vices gerit in terris, cui datae sunt claves super [portas] coelestis atrii ac summae faelicitatis¹⁴⁰, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit¹⁴¹, cuius pedibus^{g)} omnia inferiora subiecit Deus, a suo pontificio solio nos ad te,

¹³⁵ Cfr. *supra*, N. 10.

¹³⁶ Paraphrasis Ps. 147, 3.

¹³⁷ Scilicet cum Alberto, magno ordinis Theutonicorum magistro.

¹³⁸ Cfr. *praesertim litteras ad regem*, 28 III et 23 V 1519 datas (AV, Arm. 44, ms. 5 f. 168r, 230r-v).

¹³⁹ Bellum scilicet cum magistro Prussiae, exeunte Decembri 1519 inchoatum.

¹⁴⁰ Paraphrasis in Matth. 16, 19.

¹⁴¹ Apoc. 3, 7.

Princeps religiosissime, destinavit, postquam paternos complexus ac aeternam salutem, te sanctissimum faelicissimumque exoptans, ut a christiani sanguinis effusione tuos milites abstinere iubeas et eam, quae christianum principem decet, concordiam amplectaris, postulat, efflagitat^{h)} rogatque (pro sua benignitate maxima) ac praecatur. Nec propterea ab iustissimo pontifice tibi forte persuasum arbitreris, [4r] ut honestum tui decorum, aequum, commodum ac tui regni iura postponas, quae (sicuti is, qui tibi supra modum afficitur) augere potius sua auctoritate decerneret, sed ut eam, quae iusto decori tuo, quae iuri regni tui, quae condignae indemnitati tuae conducat, sive pacem sive transactionem cum hoste ineas. Quod et ut ille non minus efficiat, omnem operam navabit pontifex, nosque pro credito nobis munere ac virili nostra nusquam neglecturi sumus. Sicuti enim, ut sanctissimo principi nostro ac sanctissimae sedi, a qua legati sumus, obtemperaremus, proque communi (ⁱ⁻cum christiano principe⁻ⁱ) et Albertum, militaris ordinis Sanctae Mariae Teutonicorum magnum et generalem magistrum ac marchionem Brandenburgensem illustrem, christianos principes, super rebus Pruthenicis pace ac concordia interponenda ac contra religionis hostes aggrediendo certamine tuam peteremus Sublimitatem, Romanae Urbis sanctitudinem spiritualesque delicias, studiorum nostrorum dulcedinem, amicorum (quibus affluebamus) iucunda commercia, quietem, patriam, agnatos, ipsaque omnia privata commoda deseruimus, hiberni temporis inclem tam, itineris prolixitatem, viarum difficultates ac pericula, coeli rigiditatem, ipsius quoque nobis insuetam^j regionis asperitatem, demum iacturas omnes omniaque incommoda nihil pendimus, sic ut dum communis paci communique benevolentiae consulatur, nequaquam imposterum defuturi sumus, quin et (ut illud apostolicum imitemur) exhibebimus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile [4v] obsequium nostrum¹⁴².

Quod et tanto (^k-minus difficile futurum speramus^{-k}), quod ille tibi e dulcissima sorore nepos existat^{l)}¹⁴³, tuque erga ipsum, non modo ut avunculum, sed et veluti patrem, veluti tutorem, velutique studiosissimum fautorem, te ipsum semper gesseris^m). Nec te fugiat, Rex sapientissime, adagium illud: Gloriosius longe esse facere reges et principes, quam subiicereⁿ).

Per tuum itaque regnum; per illud insigne diadema, quo regium caput tuum exornatur; per sceptrum illud, quo regia manus tua redimitur; per suavissimam prolem tuam^o), per illum beatae memoriae Cazimirum, germanum tuum pientissimum; per illam observantiam summam, qua christianam prosequeris religionem; per illum omnipotentem Opificem omnium rerum, qui te sua providentia ad regium apicem sublimavit; per eius denique aeternum Verbum et consubstantiale Filium, qui pro tua salute, Princeps optime, de summo coeli cardine descendere, carnem sumere et mortem subire dignatus

¹⁴² Rom. 12, 1.

¹⁴³ Mater Alberti erat Sophia († 1512), filia regis Casimiri Jagellonidis, a. 1479 Friderico Hohenzollern, marchioni Brandenburgensi de Ansbach, desponsata.

est, te supra id, quod dici, quod excogitari possit, rogamus, obsecramus, exoramus, obtestamur, ut pacatis iam undique christianis principibus, christiano quoque sanguini gladius tuus parcat, ignoscat, indulget et in impios catholicae unitatis inimicos convertatur^{p).} En, quod non sine vehementi fletu fari non valeo, innocuus effunditur sanguis, tremulus [5r] senex et gemebunda anus absque noxa interficiuntur, vagientes in cunabulis in sinu matrum iugulantur infantes, miserrime trucidantur matres, coram parentibus filii, coram filiis parentes interimuntur, necantur, obtruncantur. Nec parcitur generi, nec ordini, nec aetati, nec sexui. Ita in omnes, absque insontis delectu, effrenus effervet miles, debacchatur.

Eia, surge, Rex gloriosissime, accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, contra exleges Agarenos¹⁴⁴, contra perfidos haereseos aemulatores intende, prospere procede et regna; propter enim veritatem et mansuetudinem et iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua; sagittae tuae acutae, populi sub te cadent¹⁴⁵. Haud enim parum, non modo religioni christiana, sed et tui et proprio cuiuslibet regni incremento conduceret, si iacturas, quas non multos annos citra ipsa religio passa est¹⁴⁶, tecum nostri principes (quandoque saltem) excogitarent, idque, quod ad rei privatae curam, studium apponunt, ad publicum commodum et communem gloriam adhiberent. Quod si tu, Princeps augustissime, pro tua clementia, pro tua religione (uti Romanus pontifex de te sibi pollicetur) efficies, tantum tibi accedet ad gloriam, ut nihil sublimius, nihil praestantius [5v] accedere possit. Ipse sane summus sacerdos, animo tenens assiduas pugnas, quas contra verae pietatis aemulos, qui in circuitu tuo sunt, quotidie geris, frequentissimosque triumphos ac singulares palmas, quas adeptus es, illam insuper venerationem maximam, qua Sanctam Romanam Ecclesiam observare destitisti nunquam, tanta dilectione, tanta gratia, tanta benevolentia, tanto paterno amore Maiestatem tuam complectitur, tam denique tuae summae probitati deditus est, ut magis esse non possit. Sique in ineundis cum principe christiano, nepote tuo, foedere, pace ac concordia clementissimi pontificis mentem^r amplexatus fueris, nihil sit, quod optare velis, quod et ab ipsa pontifica amplitudine facile non assequares^s.

Et quoniam, ut religioni tuoque sanctissimo voto satisfaciat pontifex, praelibatum felicis memoriae Cazimirum, germanum tuum, vitae meritis ac signorum virtute praeclarum, in sanctorum catalogum referre cupit, accuratissime mandavit, ut super eius meritis^t, integritate ac munditia glorio-sisque miraculis actitata hucusque monumenta seriose inspiciam omnesque ad id necessarias investigationes expediam¹⁴⁷, quas et scripto redactas, ad ipsum beatissimum antistitem [6r] sacrumque Sanctae Romanae Ecclesiae

¹⁴⁴ Gens beduina, quae tempore regis Saulis in deserto Syriaco vivebat, saepe cum Israelitis dimicando.

¹⁴⁵ Ps. 44, 4-6.

¹⁴⁶ Verisimiliter Hussitas in mente habet, nam Lutheri condemnatio tunc adhuc parabatur.

¹⁴⁷ Cfr. N. 2, 3, 9.

senatum, vel mecum deferam, vel transmittam. Ad quod opus tanto me ex omni corde promptiorem accingo, quanto et mirabilis magis est Deus in sanctis suis.

Haec sunt, Rex ser.me, quae Celsitudini tuae apostolico iussu significanda nobis sunt demandata. Nonnulla quidem alia fidei nostrae credita habemus, quae pro christiana reipublicae incumbentibus rebus, pontificis mandato, quum tibi iniucundum [non] erit, semotis arbitris aperiemus. Verum, si quid dicendo praetermisericordia, strenuus miles et omnium rerum non vulgari experientia praeditus collega meus (quum ipsam quoque regionis linguam optime calleat), resarciet atque supplebit. DIXI.

- a) *In omnibus textibus secundae redactionis: nono calendaris Martii MDXX.*
- b-b) *Additum in margine manu ipsius Ferreri.*
- c) *Hic sequitur in secunda redactione additum: sanctionibusque et praeceptis apostolicis ac interminationibus ecclesiasticis contra violatores stabilivit atque firmavit.*
- d) *Additum in secunda redactione: ac monere*
- e) *Sequitur in secunda redactione: et adduceret.*
- f) *Sequitur additum in secunda redactione: monet et*
- g) *Adscriptum in margine manu Ferreri.*
- h) *Sequitur additum in secunda redactione: monet, mandat*
- i-i) *In secunda redactione: et vicaria inter te*
- j) *Sequitur additum in secunda redactione: borealis ac Sarmaticae*
- k-k) *Loco huius textus in secunda redactione ponitur: magis a te faciendum est, quod cum longe impari certamen tibi sit, et eo minus, procul dubio, tibi ineundum.*
- l) *Sequitur additum in secunda redactione: a quo iniuriam ullam, armatus etiam, agnoscere vix debeas; ergaque illum, et aetate et potentia tibi admodum inferiorem*
- m) *In secunda redactione: gerere potius deceat.*
- n) *Sequitur additum in secunda redactione: Enimvero quae tibi gloria, quis decor, quae palma, si nepotem tu, avunculus et pater, debilioremque supra modum opibus et potentia hostem, tu, princeps potentissimus, incomparabili exercitu obrueris et, sicuti tibi facillimum est (ut ita dicam), in nihilum redegeris, videaris-*

que apud plerosque in ea controversia, quae iure potius, quam armis sedanda esset, viribus et non legibus uti?

- o) *Suprascriptum manu Ferreri.*
- p) *Sequitur in secunda redactione: ab eo quoque bello abstineas, a quo te et divinae et humanae rationes dehortantur.*
- r) *Sequitur in secunda redactione: iussaque ac monita paterna capescere decreveris.*
- s) *Hic sequitur in secunda redactione satis longa insertio: si vero haec lis in praesentiarum mutua vestrum reconciliatione tolli non possit, suspendatur saltem eo usque, quo a beatissimo pontifice Sanctaque Apostolica Sede, quae unicuique iustitiam exactissime ministravit semper, maturo consilio definiatur. Non enim est novum aut recens tuae regiae Sublimitati, Rex sapientissime, supremum omnium Christianorum pontificem a Deo Optimo Maximo summa sua providentia mortalibus esse concessum, non ut quiescat, sed ut vigilet ac sollicita semper et studiosissima mente, quae reipublicae nostrae conducant, ex suo sublimi fastigio speculetur. Unde Dominus ad [704] eum per Ezechiel ait: speculatorem dedi te domui Israel, audies de ore meo verbum et annuntiabis eis ex me; et per Hieremiam: ecce constitui te super gentes et super regna, ut eellas et destruas, et disperdas et dissipes, et aedifices et plantes, et Paulus, apostolicam designans sedulitatem, inquit: qui praeest in sollicitudine, et: praeter illa, quae intrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo om-*

nium ecclesiarum. Curarum igitur molibus angi, inquietari, sollicitari, vigilare ac nocturnas etiam custodias super gregem suum habere omni pontifici (Romano praesertim, aliorum principi) ita proprium est, ut quanto magis his exerceatur, tanto et verius pontifex existat. Sicuti enim, quod proprium est, ipsa quisque natura optare consuevit, ita et sanctissimo pontifici optabile et iucundum erit pro communi inter te et nepotem tuum, christianos principes, pace et concordia conciliandis, huius causae sarcinam sacris humeris suscipere ac pro imminentibus rei christianaे discriminibus, seposita omni requie, celestius aut solvere aut componere.

Nec maximas quantumque curas alias et sollicitudines pontificem aliquorum ab hac causa, utcumque ardua, quin non citius extricetur, deterrere, sevocare aut impedire formides, Rex invictissime, quam eiusmodi et longe maioribus inter principes enodandis quaestionibus assueverint Romani pontifices, nihilque hoc labore iucundius paeclariusque ob publicam utilitatem apud eos existimari merito possit. *[Dein longe narrat de pontificibus, qui discordias inter principes suo arbitrio dirimebant].* Pontificis igitur iudicium nec tu, Sigismunde, Rex piissime, nec Albertus, inclitus nepos tuus et magnus Prussiae magister, in hac controversia ullatenus evitare aut honeste declinare potestis, quandoquidem et ad illum causae huius cognitio pertineat, et longe maiora ac gravioris momenti christianorum principum dissidia et super regnis et Romano imperio contentiones Romani pontifices, Christi Dei ac principis nostri veri in terra vicarii, intermissio bello et suspensis armis diffinierunt, sententiamque suam pontifica maiestate et decreto roburarunt ac obfirmarunt. Nec illos

principes imitari debes, qui armis atque potentia ius sibi dicere facere conuevere, sed eos, qui pii, qui religiosi, qui christianum et innoxium sanguinem omnibus et regnis antepontentes, non tumultu bellico, non militari manu, sed iure atque sanctorum patrum decreto sive arbitrio, quod suum esse censebant perquisivere et adepti sunt, Christique veraces cultores et christianae pacis observatores constantissimos se ipsos exhibuere.

Hanc tuis excelsis virtutibus et rebus gestis, hanc tuis sublimibus preconis laudem quoque adiicere, Rex gloriosissime; hanc in te pietatem erga Deum optimum, hanc in te erga christianam tranquillitatem clementiam, hanc in te erga Romanam Ecclesiam insignem veneracionem ostendas; atque illam in te speculetur, in te admiretur, de te que concionetur et declamet christianus orbis universus. Hoc de tua augustissima probitate, sanctum, religiosum, pliumque et egregium facinus, Sigismunde, chartis inscribatur, perpetuisque annalibus commendetur ac Sigismundo, Sarmatiae regi invictissimo, nihil ad gloriam defuisse dicatur, qui omnem in re Pruthenica causam suam, ut christiano sanguini parceret, ut christianis rebus consuleret, princeps religiosissimus in arbitrium ac censorum beatissimi Leonis decimi, Romani pontificis, supplex et venerabundus reposuit, christianisque principibus omnibus, uti ea tempestate annis et aetate pater erat, ita et se eis religionis et pietatis omniumque virtutum exemplar reliquit. Quod ut facias, omnis et divina et humana ratio expostulat, nosque, Princeps optime, votis omnibus obsecramus, quum et ipse rev. mus et illustris magister hoc idem nec detrectare, nec refugere possit.

^{t)} *Suprascriptum manu Ferreri.*

N. 16.

Responsum primum,
regis nomine nuntiis pontificiis datum

[Toruniae, 21 II 1520].

Rex gratias agit summo pontifici pro iis, quae Ferreri in sua gravi oratione exposuit; omnia se cum nuntiis posteriore tempore discussurum proponit.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 3 f. 115r (n. 279).

- **Cop. coaevae:** Kraków, BJ, ms. 6548 p. 709;

Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 221r.

Ed.: Działyński AT V 197-198 (erronee unitum responso secundo, cfr. N. 17).

Sacra regia maiestas suscepit omni gratitudine et reverentia benedictionem Sanctissimi Domini Nostri, agitque et habet gratias quas potest maiores eius Sanctitati de hoc officio et cura paterna, quam gerit in se ac regnum et dominia sua, ut quae intelligens res eius maiestatis in continuo motu bellico constitutas, miserit huc v.ras Dominationes ad illas pacandas idque omne obeundum, quod opportunum et salutare maiestati suae regnoque et dominiis suis esset futurum. Maiestas sua ser.ma, uti hactenus consuevit, ita et deinceps curabit hanc (^a-illius sanctitatis^a) pietatem paternam^b) omni studio, observantia et viribus (^c-suis erga illam et eius sanctam sedem^c) perpetuo demereri.

Habet etiam eius maiestas commendatas singillatim personas v.rarum Dominationum et illis pro affectu et studio isto, quod erga maiestatem suam praeseverunt, proque his laudibus, quas eius maiestati gravi et eleganti oratione tribuerunt, gratias habet non vulgares. Cum autem (^a-Dominationes v.rae^a) lassitudinem itinerariam paulo^d) sedaverint, maiestas sua cum illis id agere et tractare dignabitur, quod ex usu rei christiana et dignitate, tam sanctissimi domini, quam eius maiestatis futurum videbitur.

^{a-a)} *Suprascriptum.*

^{b)} *Sequitur una sententia penitus expuncta.*

^{c-c)} *Suprascriptum pro expuncto: post se*

^{d)} *Sequitur expunctum verbum illegibile.*

**Responsum secundum
datum nuntiis pontificis regio nomine**

Toruniae, 14 III 1520.

Rex commendat studia et conatus pontificis de pacificandis principibus christianis, ut viribus unitis Turcas aggredi possint. Quod vero pacem cum Alberto, Prussiae magistro, attinet, asserit se ad bellum adversus eum suscipiendum coactum fuisse propter subdolas eius actiones, iniurias subditis suis illatas et cum hostibus suis conspirationes; declarat se nunc ab isto bello, quod sibi bene succedit, abstinere non posse, gratum tamen sibi esse eorum officium, quo si opus habuerit, ipsique alia eis commissa expleverint, libenter se usurum esse.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górski 3 f. 42r-43r.

Cop. coaevae: Kraków, BJ, ms. 6548 p. 711-713;

Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 221v-222v.

Ed.: Działyński AT V 198-199 (una cum N. 16).

**Responsum datum nuntiis apostolicis Thorunii
feria quarta proxima ante dominicam Laetare, quae fuit XIIIII Marcii**

Laudat summopere et probat Maiestas sua sanctissimum et maxime necessarium studium, curam et institutum illius Sanctitatis, quod omnes reges et principes christianos ad quinquennales inducias et deinde ad bellum et communem expeditionem contra Turcam suscipiendam persuadere et exhortari non desistit. Dominoque Deo gratias agit Maiestas sua, qui hanc illius Sanctitati mentem inspirare dignatus est pro vindicanda salute et bono statu rei christiana, adeo nunc ut nunquam alias magis in discrimine constitutae. Maiestas enim sua ser.ma, ut ea, quae assidue humeris suis hanc molem infidelium sustinet, nihil unquam magis desideravit, quam hoc aliquando faustissimum tempus futurum, ut omnes principes christiani unanimi consensu et coactis viribus tandem ad redimendum periclitantem reipublicae christianaे bonum statum surgerent. Verum^{a)} de hac^{b)} ipsa generali expeditione^{c)} Maiestas sua ser.ma alio tempore plenius^{d)} tractare et conferre cum v.ris Dominationibus dignabitur.

^(e)-Quod autem v.rae Dominationes nomine^{-e)} illius Sanctitatis postulant et hortantur, ut Maiestas sua ser.ma pacem iniret^{f)} et amplectetur^{(a)-cum} nepote suo, illustri d.no magistro ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum in Prussia^{-a)}, non dubitat Maiestas sua satis constare illius Sanctitati ex litteris et nuntiis^{(g)-suis}, quantas^(g) molestias et adversitates idem illustris do-

minus magister ^(h)Maiestati suae^(h) semper exhibere consuevit, premendo subditos illius vectigalibus insolitis, vadimoniis, carceribus, spoliis, grassationibus, incendiis, caedibus ac aliis variis ac indignis modis, ut illos ad defectionem ⁽ⁱ⁾ab ea⁽ⁱ⁾ cogeret. Et subinde toto tempore delectus faciebat, arma, pontes, tormenta ac alia bellica instrumenta parabat, suggillando Maiestatem suam indignis criminibus apud christianos principes ^(a)et impingendo illi haec facinora, quae ipse adversus illam patrabat, auxiliaque sibi^(a) aduersus illam^(j) comparando. [42v] Quae omnia cum usque huc patienter ferret ac dissimularet Maiestas sua, id subterfugiens, quod semper horruit, ne arma sua, quibus assidue molem infidelium sustinet, in populum christianum converteret, ille abusus hac patientia et aequanimitate Maiestatis sua, suique debiti, suae professionis ac etiam vinculi sanguinis immemor, conspiravit adversus Maiestatem suam cum eius, immo^{k)} totius christiana reipublicae hostibus^{l)} Moscis et Thartaris, et nullo illi bello indicto, eduxerat magnum militum numerum ex Germania; ipseque in procintu fuit Maiestatem suam, inopinantem et aliis bellis cum infidelibus occupatam, adoriri et subditos eius partim ad defectionem, partim etiam ad praestandum sibi liberum transitum per loca munita sollicitavit.

Quibus rebus, ingenti motu ac trepidatione in his terris Prussiae facta, coacta est Maiestas sua, posthabitis omnibus negotiis et tempore hiberno, bello minime congruo, huc cum exercitu venire, ubi longo tempore adhuc expectans, ut ille^{m)} resipisceret ac debitum suum praestaret. Illumque in sua pertinacia et hostilitate constantem videns, facere aliter non potuit, quam ut illum, quod hactenus vitavit, bello aggrederetur.

Quod coeptum Maiestati sua, Domino Deo propitio, prospere succedit. Gentes enim Maiestatis sua, quaecumque per eam terram eunt, omnia libere ferro et igni populantur, arces plerasqueⁿ⁾ et civitates ac oppida, nonnullos etiam non vulgares captivos interceperunt. Non videtur itaque Maiestati sua, ut rebus sic stantibus, arma, quae ex tam iustissimis causis sumere est coacta, ad praesens deponat. Facere enim id absque gravi suo [43r] et subditorum suorum dispendio ^(o)atque incommodo^(o) non posset, sed et hostis Maiestatis sua, ut est homo nimium confidens viribus suis, ^(a)ubi id nunc fieret^(a), crederet se timeri occasionemque sumeret suam libidinem deinceps saevius atrociusque explendi. Grata est tamen plurimum Maiestati suae haec cura et studium v.rarum Dominationum, quod obtulerunt, et curabit id illis omni favore et benevolentia sua regia semper referre.

Quia vero Sanctissimus Dominus Noster^{p)} commisit v.ris Dominationibus nonnulla etiam alia negotia curare et agere in magno ducatu Lituaniae, censet et postulat Maiestas sua, ut v.rae Dominationes interea temporis illic proficiscantur et munus sibi iniunctum diligenter obeant. Ubi autem^{r)} postea videbitur esse opus tractatibus aliquibus cum ipso d.no magistro, tum demum Maiestas sua id v.ris Dominationibus declarabit.

- a, a-a) *Adscriptum in margine.*
- b) *Sequitur expunctum: tamen*
- c) *Sequitur expunctum: alio*
- d) *Sequitur expunctum: et liberius*
- e-e) *Suprascriptum pro deleto: Verum quod*
- f) *Suprascriptum pro expuncto: signaret*
- g-g) *Suprascriptum pro expuncto: Maiesta-*
tis suaे, quos
- h-h) *Suprascriptum pro expuncto: illi*
- i-i) *Suprascriptum pro expuncto: a Maies-*
tatesua
- j) *Sequuntur expuncta duo verba illegibi-*
lia.
- k) *Suprascriptum pro expuncto: quod*
- l) *Sequitur expunctum: Turcis*
- m) *Sequitur expunctum verbum illegibile.*
- n) *Suprascriptum pro expuncto: munitas*
- o-o) *Adscriptum supra.*
- p) *Sequitur expunctum: committi*
- r) *Suprascriptum pro expuncto: vero*

N. 18.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Leoni X, pontifici maximo**

[Toruniae, post 14 III 1520].

*Gratum se esse scribit pro eo, quod ipse nuntios suos ad se miserit, qui ae-
quanimitatis suaे testes esse possint. Non putat tamen consultum esse, ut in
Moscoviam se conferant. Petit, ut facultates, quas Ferreri pro Lithuania et Mo-
scovia obtinet, etiam ad regnum Poloniae extendat.*

Reg.: Warszawa, AGAD, Lib.Legat. 5 f. 132v-133v.

Cop. coaeva: AGAD, Sucha, ms. 22/32 p. 444-445.

Ed.: Działyński AT V 240.

*[Commendat Petrum Tomicki ad episcopatum Posnaniensem, post obitum
Ioannis Lubrański vacantem]. Caeterum ago immensas gratias v.rae Sancti-
tati, quod ad ea tractanda, quae rebus meis expedient, mittere huc ad me di-
gnata est suos oratores, quos aliquantis per adhuc retinebo, donec hi tumul-
tus, quibus detineor, sedabuntur, ut illi testes fiant apud Sanctitatem^{a)} ves-
tram, tum gestorum, tum etiam aequanimitatis meae¹⁴⁸. Nam quod ad pro-
fectionem in Moscoviam attinet, quia res aliter se multo habet, quam sit
Sanctitati v.rae persuasum¹⁴⁹, nec decens, nec satis tutum ut illuc irent pu-
tavi. [133v] Verum supplico illi enixe, ut pro honore suo et meo, populorum-
que meorum commodo, ac etiam dignitate, concedere dignetur easdem facul-
tates rev.do d.no Zachariae, episcopo Gardiensi, ad annum dumtaxat, in reg-
no et dominiis meis Poloniae exercendas, quas illi ad ducatum Lituaniae et*

¹⁴⁸ In contentione cum Alberto, magno Ordinis Theutonicorum magistro.

¹⁴⁹ Cfr. N. 9 (p. 16).

Moscoviae concessit¹⁵⁰. Nam illic nullius pene usus esse possunt propter multitudinem incolarum ritus Graeci et raram necessitatem eiusmodi facultatum, quae illic hominibus incumbant. Erit haec res mihi non vulgariter grata et subditis meis utilis, cum ea, quae isthinc ex Urbe aut ex Hungaria peteretur¹⁵¹, hic domi haberi possint. Quod v.ram Sanctitatem pro sua benignitate facturam non dubito. Cui me cum regno et dominiis meis ex corde commendabo, et cupio, ut sit diutissime foelix et incolumis. Datum.

a) *In textu: Serenitatem*

N. 19.

**Zacharias Ferreri et Ioannes de Tedaldis
Alberto, magno ordinis Theutonicorum magistro**

Toruniae, 9 IV 1520.

Notum faciunt se ad regem Poloniae destinatos esse, ut differentias inter eum et illum regem componerent; quid hac in re usque nunc fecerint significant, orationisque coram rege habitae exemplar mittunt et paratos se esse ipsum adire dicunt.

Or.: Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 23534 (autographum Ferrerii?); a tergo sigillum Ferrerii et inscriptio; intus (f. 2r) versio Germanica coaeva.

III.me Princeps et Domine D.ne observandissime. Commendationes plurimas.

Quum ob varia christiana religionis ardua negotia Sanctissimus Dominus Noster ad ser.mum regem Poloniae nos destinaverit, mandavit quoque inter caetera, ut differentias, quas tum mutuo habebatis, aliqua media concordia coaptare niteremur, ignarus adhuc de bello, quod hucusque increscit. Nos, cum primum ad eundem ser.mum regem concessimus, omnem operam navavimus, ut ad id eius animum infleteremus (sicuti ex oratione coram eius regia maiestate a nobis habita, quam ei transmittimus¹⁵², melius perpendet tua ill.ma Dominatio). Quotidie etiam non destitimus inter privata colloquia idem efficere et curare. Distulimusque hactenus ad eandem Dominationem tuam ill.mam propterea scribere, ut quid conclusionis ab eadem

¹⁵⁰ Cfr. supra, N. 11.

¹⁵¹ A nuntio scilicet in Hungaria residente.

¹⁵² Cfr. supra, N. 15.

maiestate super ea re habuissemus, possemus litteris explicare. At quoniam nihil adhuc resolutionis obtainere potuimus, noluimus ulterius ad scribendum immorari.

Nos maximo afficimur dolore tot clades, totque dissidiorum discrimina inter vos (non modo christianos principes, sed et praecipuos consanguineos, avunculum scilicet et nepotem) atrociter desaevire, quod et quantum Sanctissimo Domino Nostro, pro sua erga utrumque paterna dilectione, dislictum sit, tua Dominatio ill.ma coniicere potest. Optabamus eam ob rem ad eandem tuam Excellentiam proficisci, si quae sit in hoc regia mens potuisse agnoscere, ne frustra laboraremus et aliorum adhuc negotiorum ardui et pernecessarii tractatus, pro quibus et missi sumus, apud eandem maiestatem nos detinerent. Interea ab incoepitis non desistemus. Praesentes vero huic familiari nostro fideli ad eandem Dominationem tuam ill.mam dedimus, ut et per eundem ad nos, si videbitur, tuto respondere possit. Cui nos enixe commendamus et offerimus, et quae fauste valeat. Datum Toruniae, IX Aprilis M.D.XX.

Eiusdem tuae Dominationis ill.mae

addictissimi: Zach[arias] epus Gardiensis
et (^a-Ioaness Tedalldj^a), nuntii apostolici

^{a-a)}Manu Ioannis de Tedaldis.

N. 20.

**Albertus, magnus ordinis Theutonicorum magister
Zachariae Ferreri et Ioanni de Tedaldis**

S.l. , 17 IV 1520.

Notum facit se eorum litteras die 16 IV accepisse; meminit se iam de quinquennalibus indutiis olim cum Nicolao a Schönberg tractasse et, quomodo reipublicae christianaee succurrere possit, petiisse. Responsum de hac re adhuc expectat. Dicit se nullam istius belli causam deditisse. Eiusdem belli non omnino necessarii, quod christianum regem minime decere asserit, atrocitates et sacrilegia enumerat. Excusat se, quod Germanico idiomate scribat.

Min.: Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 23562, f. 2r-4r. In f. 5v alia manu: "Was
bebstlicher heyligkeyt, auch der churfursten und fursten botschafter an
meines gnädigen herrn von Thoren uns hingeschrieben etc. Actum am Montag
nach Quasimodo geniti im XX-ten".

Unser willig freuntlich dinst zuvor. Erwirdigster in Got Vatter, besonder lieber Her und Freundt.

Wir haben Euer Liebden schreyben, daraus wir vermercken, das dieselbig von unserm heyligsten vatter, dem babst, von wegen etlicher wichtigen sachen der heyligen criste[n]heyt zugut^{a)} zu koniglicher irlaucht von Polen abgefertigt und verordent, auch doneben in bevelich gegeben, das sich Euer Liebden bemuhen wolten, die zwittracht, so sich zwischen koniglicher irlaucht von Polen^{b)}, uns^{(a)-} und unserm orden^{-a)} erhalten, vleis^{c)} zu haben, dieselbig beyz[u]legen mit ferner anzaigung, wes sich Eur Lieb unwissent des kriegs, welicher sich bitsher erhalten, fur muhe und vleis vorwenden, domit koniglicher irlaucht gemut geandert^{d)}, wie wir dan aus der uberschickten oracion, so vor koniglicher irlaucht von Polen gescheen¹⁵³, clerliche^{e)} zu vermercken mit dieser angeheften gutwilligkeyt, das Eur Lieb teglichs in heymlichen handlungen^{f)} gesehen, solichs zu vorkomen. Derhalben Eur Lieb bitsher mit irer schrift verzogen aus ursachen, ob es deselbig was entlichs oder beschlisslichs zu schreyben het mogen.

Dieweyl aber Eur Lieb noch zur zeyt nichts in gleichem fall erlangen haben konnen^{g)}, habt uns dieselbig Eur Lieb auch nicht lenger wissen uffzuhalten mit ferner anzaigung, wes Eur Lieb in solichem bekomert, das dergleichen widerwill vor uns als cristerlichen fursten vorhanden und Eur Lieb begirig, so dieselbig was entlichs erlanget het, ^{(a)-} auch anderer gescheft halben, so dieselbig nach uns zu richten, nicht verhandelt weren worden^{-a)}, sich in aigner person zu uns zu verfugen, welchs gewesen, doch so wollen Eur Lieb in mitler zeyt von derselbigen angefangenen handlungen nicht absteen, alles inhalts, wie dann Eur Lieb schrift clerlich mitbringt, am montag nach dem sonst Quasimodo geniti¹⁵⁴ empfangen [2v] und vernomen¹⁵⁵.

Dieweyl wir nun aus solichem schreyben vermercken, wes sich dieselbig bemuhet und in solicher handlung beflissen, das wir billig Eur Lieb danckbar seindt, wolten wir^{(a)-} sampt unserm orden^{-a)} diesen Eur Lieb gehabten vleis, muhe und arbeyt dermassen widerumb gegen derselbigens^{g)}, ab den darob Eur Lieb zu empfinden, das wir solichs in kein vergessen gestelt wollen haben, sonder^{h)} nach unserm hochsten vermogen himit zu thon erbotten haben. Domit aber Eur Lieb zu empfinden, das wir uns in kainen weglk dieses unver-sennlichen krigs von koniglicher irlaucht von Polen versehen hetten, dieweyl wir uff underhandlung unsers heyligsten vatters, des babsten, der dan sein botschaft als den wirdigen, hochgelernten und gaistlichen hern, Nicklas von Schonbergk, bey uns gehabt, ^{(a)-} wie unzweifelich Eur Lieb bewust^{-a)}, mit dieser anzaigung, wes bebstlicher heyligkeyt gemut den funfjerigen stilstandt be-

153 Cfr. supra, N. 15.

154 Feria secunda, quae sequitur dominicam primam post Pascha, vocatam etiam "in Albis". Anno 1520 occurrebat die 16 Aprilis.

155 Cfr. supra, N. 19.

langent¹⁵⁶, darin wir uns auch dermassen gegen irer heyligkeyt erbotten, wie unzweifelich der gemelt her Nicklas von Schonbergk widerumb irer heyligkeyt eingebbracht, das uns bey meniglich unverkerlich in solchen auch diese wege furgeschlagen, das wir vilmer geneigt gewesen, das ihrigⁱ hilfe zu volbringen, domit der heyligen cristenheyt nutz het mogen gespurt und gefurdert werden, dan unsere aigene sach zu furdern, die wir dan in solchen das wenigst geacht. Hetten uns auch in alle wege verhofft, bestliche heyligkeyt solt uns ehe der zeyt widerumb, wes ir heyligkeyt gemut durch gemelten hern Nicklassen zu erseen gegeben haben^j, der wir dan noch teglichs gewertig¹⁵⁷.

[3r] Dieweyl aber^k bestliche heyligkeyt solche sach noch bey sich (^a-under handen^{-a}), auch koniglicher irlaucht^l wol bewust, was in solchem gehandelt und zugesagt, (^m-hetten wir uns ye verhofft, es solt dieses gesche[henen] krigs nicht vonnottnen gewesen sein^{-m}), dann wir Eur Lieb nicht zu bergen wissen, das koniglicher irlaucht in solichem, nicht wie ainem cristenlichen konignⁿ gezimen thut, diesen krieg erweckt^o, dan seine konigliche irlaucht uns kein ursach solchs zu thon angezaigt oder uffs wenigst an den orten, do es sich wol gezimbt het, beschlegt, sonder on zuschickung ainich vedtbriefs, auch derselbigen ere (^k-in keinen weg^{-k}) verwart, solichen krig angefangen, (^a-und obgleich die alten betrucklichen vertrek hierin solten bedacht oder angerurt werden, wer billig pluts uns ain zeyt zuvor d[iese] abzusagen und zuruckzugeben von notten gewest^{-a}), denselben krig auch dermassen uben und verhandeln lassen, das man das heylig hochwirdig sacrament sampt der heyligen olung bey etlichen gefangen gefunden, auch die Gots heuser und kirchen dermassen be-raubt und geplundert, zu schweigen was mitfrauen und jungkfrauen gehandelt, welichs ye^p ainem cristenlichen konig zu dulden^r (^a-und zuzusehen nicht rumlich^{-a}), sonder Durcken und heyden schult zu geben; welichs wir dan noch bits uff den heutigen tag also unverschult leiden^l und zusehen mussen. Hoffen aber, Got der almechtig werdt diese sach mit seiner gottlichen gnad mit der zeyt mildigklich abstellen. Dan wir solich furnemen (^a-in ansehung unser gerechten sach^{-a}), wo wir nicht bestlicher heyligkeyt darin verschont (^a-und vor uns wie billig gehalten^{-a}), auch der handlung, so wir irer heyligkeyt bey her Nicklas von S[chonbergk] in unser antwort gegeben, ingedenck weren gewesen, gleich so wol angesagten, alss durch koniglicher irlaucht gescheen. Aber es must uns laid sein, das wir dermassen gehandelt haben solten, alss an uns gefaren.

[3v] Welichs alles wir nicht unbillig geursacht, Eur Lieb anzuseigen^s, sonder solichs der notdurft nach in keinen wegk underlassen können. Hetten uns auch gentlich verhofft, konigliche irlaucht solt zuvorderst^a Eur Lieb^t alss dem geschickten bestlichen heyligkeyt sampt den botschaftern der cur-

¹⁵⁶ De Nicolao a Schönberg, eiusque in Prussiam missione, mensibus Novembri et Decembri 1518 peracta, vide Biskup PZK, p. 546.

¹⁵⁷ Epistula, in qua Albertus pontifici rationes suas exposuerat, est - ut videtur - ea ipsa, cuius minuta sine dato conservatur Berolini, GStAPK, XX, OBA, n. 22948. Cfr. epistulam Nicolai a Schönberg ad fratrem eius Theodoricum, 12 I 1520 datam (minuta ibidem, n. 23041).

fursten und fursten zu Thorn, besonder in solicher sach, was zu handeln, ungerumbt haben, auch in mittler zeit Eur Lieb^{u)} ankunft in das krigisch furnenen, welichs gantz uncristlich geubt, bits zu erhollung der sach^{v)} zu frid gestelt. Dieweyl aber unser menigfertig erbieten, so wir und unser Orden, (^a auch unsere vorfare^{n-a)}, ain lange zeyt her oftmals bey den hochsten heuptern der cristenheyt, auch allen andern stenden (^a-derselbigen anheimig uns zu entschayden und ortern zu lassen^{-a)} gesucht, aber bey koniglicher irlaucht von Polen nye het wollen angesehen werden, wie dan Eur Lieb ytzundt auch bezeigen thet, (^a-sonder vil lieber das erb unser liebenfrauen in der sone dan in andere weg zu erlegen begirig^{-a)}, haben Eur Lieb abzunemen, was koniglicher irlaucht grunt und meinung hierin ist, also das babstliche heyligkeyt, als das oberst haupt der cristenheyt, sampt andern stenden^{w)} solich unser gleichmessig erbieten nicht zu ortern und beyzulegen^{x)}, zutritt haben mogen. Aber nichts dester weniger, wiewol es nicht ain clainer schaden mit mordt, raub und brandt von koniglicher irlaucht von Polen in unserm landt bezeyget, erbieten wir uns nochmals, wie alle zeyt von uns gesehen und gehort, wo Eur Lieb als der geschickt bebstlicher heyligkeyt ainiche weg und mittel westen^{y)} [4r] forzuschlahen, die uns und unsern Orden erlich, vromlich, thonlich und annemlich sein mochten^{z)}. (^a-Darin wollen wir uns dermassen horen, beweisen und vernehmen lassen, das es bey Eur Lieb und menigklichen unmer weissenlich sein soll^{-a)}. Und wiewol wir aus unser treuhertzigen wolmainung, so wir ye und allewegen zu babstlicher heyligkeyt anschlegen getragen, zu diesem verderblichen schaden kommen, den wir dan babstlicher heyligkeyt zu gefallen gern leyden und dulden wollen, bitten wir Eur Lieb gantz freuntlichs vleis, dieselb wollen solichen unsern guten willen und erlitten schaden ir heyligkeyt anzaigen mit^{aa)} diesen [sic] bevelhung uns und unsren Orden mit irer vetterlichen gnad dermassen zu bedencken, damit (^{ab}-wir zu empfinden, das solicher hendel in keinen wegk bebstlicher heyligkeyt leidlich und gefellig^{ab}), wie wir dan sonder zweifel in Eur Lieb so zu thon werden. Wir hetten auch Eur Lieb soliche unser schrift gern in das^{ac)} lattein bringen lassen. Dieweyl aber Eur Lieb geschickter bot etwas ser geeylt^{ad)}, thon wir Eur Lieb soliche unser antwort in teutschen worten behendigen. Bitten derwegen, Eur Lieb wollen solichs nictes anderm dan der eyl halben beymessen. Das wolten wir Eur Lieb, die wir etc. (^a-Datum dinstags nach Quasimodo geniti 1520^{-a)}.

a, a-a) *Adscriptum in margine.*

b) *Sequitur expunctum:* und

c) *Sequitur expunctum:* furzuwech(?).

d) *Sequitur expunctum:* het

e) *Sequitur expunctum:* vernomen v

f) *Adscriptum supra pro expuncto:* per

g) *Suprascriptum pro uno verbo expuncto.*

h) *Sequitur expunctum:* solichs

i) *Lectio incerta.*

j) *Sequitur expunctum:* dan wir uns stets daruff vertrost .

k, k-k) *Adscriptum supra.*

l) *Sequitur expunctum:* wie derselbig

m-m) *Adscriptum in margine pro expuncto in textu:* wir solten dises uberfals billig ueberhoben sein gewesen.

n) *Sequitur 3 verba penitus expuncta.*

o) *Adscriptum supra expuncto:* angefangen

p) *Sequitur expunctum:* nicht et 4 verba suprascripta, quae non leguntur.

q) *Sequitur expunctum:* zugehort

r) *Sequitur expunctum:* dulden

- s) *Sequitur expunctum:* durch uns dan
- t) *Sequitur expunctum:* und andern
- u) *Suprascriptum loco expuncti:* eurer
- v) *Sequitur expunctum:* angestelthaben
- w) *Sequitur expunctum:* hierin von koniglichen irlaucht
- x) *Sequitur expunctum:* machtzutrit
- y) *Sequitur expunctum:* wir haben eur vaterlichen lieb schreyben, wes sich die selbigen als die geschickten unsers heyligsten vaters des babst ytzundt bey konigliche irlaucht von Polen zuhandeln underfangen, damit diese kriegische, welche konigliche irlaucht vorhat, under entberung undernommen werden mocht, mit anzaigung uns und unser orden vorhat
- z) *Sequitur expunctum (partim in textu et partim in margine):* bitt wir eur lieb

hiermit ganz freuntlichs dinstlichs vleis, dieselb eur lieb wolten sich in solchen nochmals berichten, darob ye meniglich zu empfinden, das es an unsern teyl nicht erf[mangeln] soll, da es ye cleglich und zu erbarmen, das dieser orden des ganzen als ain spitals des ganzen adels bey der cristenheyt also ernstlich solt ausgereut und verdilgt werden, das wolten wir eur lieb, des wir freuntlichs zu dienen gewertig, uff solich ir geth[anes] schreyben nicht bergen, darin

- aa) *Sequitur expunctum:* dieser g
- ab-ab) *Adscriptum in margine pro expuncto in textu:* wir unsers erlittenen schadens hinfurt widerumb ergetzen werden mochten
- ac) *Sequitur expunctum:* ladt
- ad) *Sequitur expunctum:* haben wir ime

N. 21

**Zacharias Ferreri et Ioannes de Tedaldis
Alberto, magno ordinis Theutonicorum magistro**

Toruniae, 2 V 1520.

Acceptis eius litteris frustra se apud regem laborasse scribunt, ut arma deponeret et litem arbitrio pontificis decidendam relinquaret; ideo novos articulos compositionis mittunt, qui tractatum Pacis Toruniensis anni 1466 in iis tantum mutant, quae ad receptionem Polonorum in ordinem nunc negandam attinent et quae obligationem mutui auxilii in casu belli ferendi tantum ad expeditiones contra infideles et schismaticos restringunt. Eius tempestivum responsum exoptant, pro indutiis 15 vel 20 dierum se laboraturos promittunt; breve Leonis X, quo ad deponenda arma et indutias ab ipso indictas observandas monetur, transmittunt et ut illi obtemperet hortantur. Adiunguntur supradicti articuli compositionis, ubi etiam de conservanda Sedis Apostolicae auctoritate agitur.

Or.: Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 23643 f. 4r-v. In f. 5v inscriptio et sigillum Ferrerii. In f. 1r-2r versio Germanica coaeva. In f. 3r appendix. Partim manu secretarii nuntiorum exarata, partim a vermis destructa.

Redditis nobis litteris Dominationis tuae ill.mae a tabellario nostro, recensuimus, non sine maximo dolore, quaerimonias sinistrosque casus et adversos belli turbines, quibus premitur et circumvallatur¹⁵⁸. Non potuimusque tot calamitatibus non summopere compati et ex intimo corde misereri, iterum atque iterum regias pulsare aures, compellare proceres et consiliarios ad deponendum arma, ad intermittendum bellum et ad has altercationes (habito ad quinquennales inducias¹⁵⁹ respectu) ad arbitrium Ss.mi Domini Nostri et sanctae Sedis Apostolicae, pro ipsius observantia, reducendas et diffiniendas. Quod cum fuerit negatum, proposuimus alias conditiones, quae nobis aequae honestaeque visae sunt pro qualitate temporis, et a quibus ad evitanda maiora mala et tollenda scandala de medio christiani populi, nec non ad obsequendum votis Ss.mi Domini Nostri neutra pars deberet pacto aliquo declinare, sed eas continuo et immediate complecti et acceptas habere.

Quae conditiones versantur circa conventiones illas, quae sub titulo perpetuae pacis clauduntur¹⁶⁰, moderatis tamen nonnullis ex eis, ut scilicet non suscipiantur Poloni in ordinem¹⁶¹, non dentur auxilium seu suppetiae nisi contra hostes infideles et ab unitate Sanctae Romanae Ecclesiae deviantes, et quidem sub certa limitatione, quae dictae pacis perpetuae substantiam non alterent aut immutent¹⁶². Circa quae, etsi adhuc regium non potuimus habere responsum, noluimus tamen praetermittere, quin Dominationi tuae ill.mae illa exponamus, ut citius expediamus. De quibus et ad nos scribere dignetur, vel suo nuntio, cui fidat, ore tenus quam primum animum suum declarare, quoniam hac tarditate maiora quotidie mala augentur. Sicut vero ser.mum regem, ut hac saltem honestate vincatur et mitescat, quotidie et omni hora rogamus et efficacibus persuademus rationibus, sic et tuam Dominationem precamur enixius, ut nobiscum esse et sentire dignetur, nullatenusque reluctari; quod nil aliud esset, quam rem in longum et in incertum, vel^{a)} proculdubio deteriore eventum deducere. Super quo et iucundam, gratam et celerem a tua ill.ma Dignitate expectamus responsionem. [4v] Interea laboramus, ut inducias belli aliquas, saltem XV vel XX dierum, a regia maiestate obtineamus.

Nuper accepimus a Ss.mo Domino Nostro apostolicas litteras ad nos, ad ser.mum regem et ad ill.mam Dominationem tuam, quibus nobis significan-

¹⁵⁸ Cfr. N. 20.

¹⁵⁹ Illas scilicet, quas Leo X a. 1518 indixit, cfr. supra, N. 2.

¹⁶⁰ Scilicet Pacis Toruniae a. 1466 conclusae, cuius acta edidit Weise TF, p. 265-288.

¹⁶¹ Articolo 14 Cruciferi se obligaverunt, "quod deinceps et amodo ad ordinem nostrum S. Mariae Theutonicorum... personae idoneae et ordinis capaces, eciam ex subditis quibuscumque regni Poloniae et principatuum et dominiorum eius assumantur, ita tamen quod nos, magister et commendatores, ultra medium partem de illis assumere non teneamur...", Weise TF, p. 279. De proposito huius mitigationis, quae iam a. 1512 in conventione Petricoviensi discussa erat, v. Biskup WP, p. 202-203.

¹⁶² Articulus 6: "Sumus obligati... sibi [regi Poloniae] et successoribus suis regibus et regno Poloniae contra omnes hostes et adversarios suos... assistere eosque in guerris et adversitatibus nostris potenciarum adiuvarere", Weise TF, p. 275. Cfr. Biskup WP, p. 203.

tur, ut litteris ipsis redditis, utrumque vestrum ad pacem et concordiam hortemur et celeriori via arma deponi ac quinquennales inducias eiusdem Ss.mi Domini Nostri in ea haberi veneratione et observantia, in qua et caeteri principes christiani habent, utriusque significaremus, stringeremusque rem modo breviori et acriori stimulo, ne ex hoc scandaloso principio caeteris christianis principibus intermissas dissensiones repetendi veraeque religionis hostibus contra nos temerarius audendi occasio ansaque p[re]aebeantur¹⁶³. Ad quod, sicut et praefatum ser.mum regem apostolico iussu hortati sumus, rogavimusque et monuimus, ita et Dominationem tuam ill.mam hortamur, rogamus et pro nostro officio monemus. Ad quam et litteras ipsas p[re]afati Ss.mi Domini Nostri p[re]aesenti familiari nostro fideli dedimus. Cui et nos plurimum commendamus et offerimus. Quae et faustissime valeat. Datum Toruniae, secunda Maii M.D.XX.

Eiusdem tuae ill.mae Dominationis

Addictissimi Zacharias epus Gardiensis
et ^{b)}-Ioaness Tedalldj^{b)}, Ss.mi Domini Nostri
nuntii et oratores.

Ex parte oratorum Ss.mi Domini Nostri
et illustrorum principum Germaniae¹⁶⁴, amicabilium compositorum.

Proponitur conditio olim perpetuae pacis inter inclytiae memoriae d.num Cazimirum, Poloniae regem, et rev.mum d.num Ludovicum, generalem magistrum ordinis Teutonicorum [...]^{c)} terrarum Prusiae etc, cum limitationibus infrascriptis:

Quod dominus magister generalis pro tempore existens, sive ipse ordo, non teneatur suspicere Polonos ad religionem seu militiam¹⁶⁵.

Item quod interveniat obligatio de praestando auxilio tantum contra infideles per utrasque partes¹⁶⁶.

Item quod dicta obligatio praestandi auxilii limitetur ad certum modum possibilem et non excedentem vires dicti magistri, quin etiam utriusque, iam specificetur.

¹⁶³ Litterae hae ad nuntios non inveniuntur, illae vero, ad regem 26 II 1520 datae, editae sunt a Działyński in AT V, p. 170-172; copia illarum, quae ad ducem eodem die datae sunt, conservatur in Kórnik, BPAN, ms. 223, p. 20-21 (versio Germanica Berolini, GStAPK, XX, OBA, n. 23248).

¹⁶⁴ Oratores hi apud regem Poloniae fuerunt 8 personae nomine electorum Germaniae missae: nomine scil. Alberti aepi Moguntini, Ioachimi marchionis Brandenburgensis et Friderici marchionis Saxoniae, nec non Georgii et Ioannis, ducum Saxoniae (nomina oratorum apud Biskup WP, p. 195). Omnes isti venerunt Toruniam die 9 IV 1520, cfr. Krämer, p. 27-28, vide etiam infra, N. 26.

¹⁶⁵ Cfr. supra, notam 161.

¹⁶⁶ Cfr. supra, notam 162. In isto articulo non dicebatur de obligationibus Polonorum.

Item quod altera pars sine alterius consilio contra eosdem infideles bellum [non] incipiat nec moveat¹⁶⁷.

Item quod corri[gen]tur aliqua ver[b]a, quae minus cir[cumspecte po]sita sunt contra auctoritatem a[p]ostolicam et subiec[tio]nem immediatam [...]^{c)} magistri et ordinis sub eo, scilicet ver[bu]m "promittentes", loco cuius [add]atur infrascripta v[e]rba, scilicet "tra[ct]abimus per nos, alium [ve]l alias, directe vel indirecte, tacite vel [ex]presse, quovis generis colore, arte vel inge[n]io", vel dicatur "in quantum poterimus et permittemus"¹⁶⁸.

Sexto in loco, ubi legitur quod "nullum alium, praeter summum pontificem, quam praefatum d.num Cazimirum, recognosceret superiorem etc", ponetur scilicet "in terris Prusiae"^{d)169}.

a) *Suprascriptum.*

b-b) *Manu Ioannis de Tedaldis.*

c) *Sequitur unum verbum illegibile.*

d) *Sequitur expunctum initium septimae propositionis.*

N. 22.

Albertus, magnus ordinis Theutonicorum magister Zachariae Ferreri et Ioanni de Tedaldis

S.l. , 10 V 1520.

Gratias agit pro laboribus in hoc adhibitis, ut bellum cum rege Poloniae ad finem perducatur. Breve pontificis et articulos compositionis se legisse nuntiat, asserit tamen se velle papam per oratorem vel litteras instruere, quomodo res se revera habeat, ne ipse inobedientiae accusetur et breve rebus suis deterimento sit; ad articulos compositionis quod attinet, petit, ut industias unius vel duorum mensium obtineat, quo ipse rem matrius cum consiliariis examinare possit, necnon ut liberum transitum oratoribus suis in Germaniam et Livoniam ea in causa mittendis impetrent.

¹⁶⁷ Articulo 6 dicti tractatus Cruciferi promittebant: "nec... bella aliqua contra katholicos [sic] sine praefati d.ni Kazimiri regis et successorum suorum, regum Poloniae, speciali movebimus consensu", cfr. Weise TF, p. 275.

¹⁶⁸ Articulus 16 sonabat: "... promittimus sine dolo et fraude ac onere praestiti iuramenti, quod ad nullius viventis hominis auctoritatem et potestatem, eciam quacumque dignitate praefulget papali, imperiali, regali vel ducali ... ad impetrandam praesentis pacis... in toto vel in parte, expresse, manifeste vel occulte, per se, alium vel alias quacumque personas... dissolutionem ... recurremus", cfr. Weise TF, p. 280. Postulatum Ferrerii hac in re adhuc melius explorandum est; explicatio huius et sequentis postulati, a Mariano Biskup data, non videtur esse sufficienter clara (v. Biskup MDD, p. 156, cfr. idem WP, p. 203).

¹⁶⁹ Articulus 6, pars 3 sonabat: "... nullum alium praeter summum pontificem, quam praefatum dominum Cazimirum, pro nostro capite et superiorem recognituri", cfr. Weise TF, p. 275.

^(a)-Unser freuntlich willig dinst etc. ^{-a)}

Erwirdiger in Got etc. Eur Lieb schreyben, wes sich dieselbig in mitler zeyt des nehern unsern schreybens bey koniglicher maiestat zu Polen in disen irrgen sachen, auch dem geschwinden krigischen furnemen zu handeln understanden, daraus wir disen vleys spuren, das Eur Lieb gentzlich genaigt, auch gern sehen thetten, das solcher ungebuerlicher krieg beygelegt und uff gehaben werden mocht, mit uberschickung eins bebstlichen breves, wie dan Eur Lieb dergleichen koniglicher maiestet auch eins behendigt, sampt den ausgezogen artickeln des ewigen frides, haben wir inhalts und nach der leng, auch wie sich in solchem allenthalben geburt, mit aller demut und gantz freuntlicher meynung entpfangen und verlesen¹⁷⁰.

Thun uns erstlich diser Eur Lieb gehabten muhe und arbait abermals, wiewol dieselbig noch zur zeyt bey koniglicher irlaucht nichts erheben haben mogen, gantz hochlich und freuntlich bedancken. Und nachdem wir aus dem uberschickten breve vermercken, das bebstlicher heyligkeyt diser widerwill nicht lieb, sonder anhalten und vermanen thun, uns in solchem selbst zu weysen, domit sich aus solchem vehdlichen begynnen nicht weyter plutvergissen ervolgen und begeben thu, erkennen wir uns in dem und mererm ir bebstlichen heyligkeyt zu wilfarn schuldig. Dieweyl wir aber disen uncristlichen krig nicht angefangen, sonder ye und alwegen urbutig gewest, solche gebrechen durch bebstliche heyligkeyt, romische kayserliche^{b)} maiestet, churfursten und fursten des heyligen reychs ortern und beylegen zu lassen, welchs dan noch [2] bisher bey koniglicher irlaucht wenig geacht ader angesehen ist worden, wollen wir ufs erst irer heyligkeyt solich breve durch unsere aigene botschaft oder schrift beantworten, des verhoffens, dieweyl bebstliche heyligkeyt dises handels nicht gruntlich bericht, diselb ir heyligkeyt soll ab solchem unserm gleymessigem erbieten vetterlichs und genedigs gefallen tragen, dan wir ye nicht gern hierin als der ungehorsam erfunden wolten werden, wie man dan unzweyfenlich, so dise gebrechen an tag gedeyen horen und vernemen wurdet, auch durch solch irer heyligkeyt anschlagen nicht cleinen schaden erlieden.

^(c)-Und als wir ferner^{c)} angehort und vernommen, uff was mittel und condictio[n] sich Eur Lieb etlicher artickel in dem betrengklichen vertragk begriffen, sampt den andern botschaftern zu handeln understanden, wie dan die uberraichten verzaichnus mitgebracht, setzen wir in keinen zweyfel, Eur Lieb hab aus der nehern unsern schrift genugsamlich vermarkt, das wir uns vil lieber in der sone und guete weysen und entschaiden wolten lassen, dan dises thon in andern beschwerlichen wegen zu gewarten. Dieweyl wir uns dan ye

¹⁷⁰ Cfr. supra, N. 21.

und alwegen an bebstliche heyligkeyt, romische kayserliche maiestet, churfursten und fursten des heyligen romischen reychs erbotten, was sie in solchem uns und unserm orden erlich, romlich, annemlich und auch dinstlich erfunden und gehandelt kan werden, sein wir noch desselbigen erbietens uns aller gebuer zu erzaigen.

Domit wir aber dester fugklicher zur handlung kommen mochten, auch dises und anders mit wissen und willen bebstlicher [3] heyligkeyt, der wir on mitel underwurfig, auch unsfern herrn und freunden und sonderlichen unsfern glidern des ordens, die auch zu solchem handel gehorig, die uns etwas zu weyt entsessen, on die wir auch in solchen hendeln nichts zu bewilligen wissen, underreden und beratschlahren mochten. So bitten wir Eur Lieb mit allem freuntlichem hohem vleys, dieselb wollen neben andern der koniglichen (c>wird zu Hungern und Behem-c) auch churfursten und fursten botschafter ytzundt zu Thoren beyeinander¹⁷¹, disen vleys furwenden, das solche vehde dises kriegischen furnemens ein monat ader zwen zu einem anstandt gedenyen und underhandelt werden macht; dordurch ye konigliche irlaucht zu empfinden, das wir zum handel eylen. In welcher zeyt wir uns, wie obgemelt, beratschlagen und bereden mochten, domit dise sach, durch Eur Lieb hilff und anderer unser herrn und freundt zuthun, gutlich und freuntlich mocht geortert und vertragen werden.

Darin wir uns dan dermassen erzaigen und weysen wolln lassen, das man ye zu empfinden haben soll, das der glympf an uns nicht erwinden, wie dan Eur Lieb aus irer hohen vernunft und schickligkeyt selbst zu ermessen haben, das wir manchen stilstandt (c-von baiden tailen-c) nicht wol zur handlung kommen mogen. Derhalben so wollen sich Eur Lieb nochmals diser muhe und arbait nicht bevilhen ader beschweren lassen, sonder vleys haben, solichen anstandt zu erlangen. Daran werden [4] unzweyfenlich Eur Lieb bebstlicher heyligkeyt guts gefallens erzaigen, so wolln wir solchs fur uns sampt unserm orden freuntlich und gantz gern verdinen. Bitten hirauf Eur Lieb eylende antwort. Datum donerstag nach Cantate¹⁷² 1520.

(d)-Wir bitten auch Eur Lieb mit allem freuntlichem vleis, dieselb wollen sampt der andern curfursten und fursten botschaftern handeln und erheben, so der stilstandt erlegt, das domit eingezogen werdt, das unsere botschafter zu unsfern hern und freunden, auch glidern des ordens, in Teutsche landt, desgleichen in Eifflandt¹⁷³, sicher und vehlich passiren mogen, domit die handlung dester schleuniger von stat geen mog. Das sein wir umb Eur Lieb auch freuntlich zu verdinen geneigt etc.

An bebstliche heyligkeyt geschickt^{d)}.

¹⁷¹ Praeter oratores principum Germaniae (cfr. supra, N. 21, annotationem 164), a die 4 V 1520 etiam oratores Ludovici II Iagellonidis, regis Hungariae et Bohemiae, Fridericus dux Legnicensis et Ioannes Gosztonyi, epus Lauriensis (Györ), Toruniae operam mediaticem in conciliando rege cum magistro praestabant, cfr. Krämer p. 31.

¹⁷² Feria V post quartam dominicam Paschae, i. e. 10 V 1520.

¹⁷³ Livland, Livonia.

a-a) *Adscriptum in margine alia manu.*
 b) *Sequitur expunctum: und konigliche*

c-c) *Adscriptum in margine.*
 d-d) *Alia manu.*

N. 23.

**Zacharias Ferreri et Ioannes de Tedaldis
 Alberto, magno ordinis Theutonicorum magistro**

Toruniae, 20 V 1520.

Notum faciunt se indutias ab ipso desideratas a rege petivisse, obtinere tamen eas, rege dolum suspicante, non potuisse. Ideo se abituros nuntiant, commendatis prius regi eius subditis, ne nimiis ex bello dispendiis afficiantur.

Or.: Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 23724 f. 2r (autogr. Ferrerii?). In f. 3v inscriptio et sigillum Ferrerii. In f. 1r-v versio Germanica coaeva.

Rev.me et ill.me Princeps et Domine observandissime. Commendationes plurimas.

Redditis nobis secundis litteris Dominationis tuae ill.mae¹⁷⁴ nihil prae-termisimus, quod faceret ad impetrandas a regia maiestate inducias duorum vel unius mensis. Quas tamen nullatenus impetrare valimus, quod eadem maiestas, ut nobis post multa respondit, se in incertum niti non sine gravibus impensis ex coadunato exercitu asserat, quum assensus commendatorum ordinum ad perpetuae illius pacis instaurationem in ancipiti pendeat et dubius existat, non absque suspicione, quod suppetiae militum interea a dicta Dominatione tua ill.ma in subsidium callide haberi procurentur; quod esset contra se ipsam et regiam maiestatem suis propriis stipendiis militare. Eapropter, quum iam ad componendam pacem treugamque seu transactionem ullam spem non habeamus, hinc abeundum esse existimavimus. Dolemus autem non mediocriter, quod re infecta discedere oporteat, et quod itinera nostra prolixissima ac difficilia, laboresque assidui ac sollicitudines graves et quotidianae fructum aliquem in Dominationis tuae ill.mae beneficium non pepererint. Quae omnia seriatim litteris etiam nostris explicabimus Ss.mo Domino Nostro. Verum commendavimus ex omni corde maiestati praefatae ordinem, populosque ac terras et oppida, quo minoribus,

¹⁷⁴ Cfr. N. 22.

quam fieri possit, dispendiis afficiantur, sed illa omnia, quantum fieri potest, integra conserventur. Quod eadem regia maiestas pro sua amplitudine curaturam se fore sponpondit. Caeterum si quid pro Dominatione tua ill.ma a nobis faciendum est, pollicemur nos ad eius vota obsequentissimos. Quae et faustissime valeat. Datum Toruniae, XX Maii M.D.XX.

Eiusdem Dominationis v.rae rev.mae

addictissimi Zacharias Episcopus Gardiensis
et (^aIoaness Tedalldj^a), oratores apostolici.

^{a)} *Manu propria.*

N. 24.

**Instructio nomine magni magistri Alberti
nuntiis summi pontificis ac oratoribus regis Hungariae
et electorum Germaniae data,
per Henricum de Miltitz ipsis referenda**

S.l., 21 V 1520.

Orator debet eis, coniunctim vel separatim, in memoriam revocare, quid eis eorum mandantes imposuerint et quid magister litteris suis ab eis postulaverit. Cum tamen eorum conciliatio nullum fructum attulerit, exercitusque Polonus multas atrocitates in subditos suos patrare non desistat, ideo magister, a dictis subditis requisitus, volens per se ipsum de condicionibus pacis cum rege tractare, petit ab eis, ut apud Fabianum, epum Varmensem, operam navent, quo ipse per suos amicos in curia regia degentes, praesertim per Ioannem Laski, aepum Gnesnensem, salvum conductum sibi quam primum impetrat.

Min.: Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 23731 f. 1r-2r. Breve summarium apud Joachim PHA II, p. 310.

Instruction an die bestlichen, konigklichen, curfursten und fursten botschafter yzundt zu Thoren versamlet, was an dieselbigen vonwegen meines gnedigen herrn, des hohemeisters, durch hern Hainrichen von Miltitz, pfleger

zu Neydenburgk¹⁷⁵, soll geworben und getragen werden. Actum am montag nach Exaudi anno XX¹⁷⁶.

Nach dem gewonlichen und geburlichen zuentbieten meines gnedigen hern, des hohemaisters, soll denselbigen semtlich oder sonderlich erzelt werden, das sie zu guter massen wol wissen, aus was ursachen sie von iren schickern in disen obligenden gebrechen zu handeln an konigliche irlaucht von Polen abgefertigt, wie sie dan denselbigen iren bevelich zum teyl meinem gnedigen hern, dem hohemaister, schriftlich angezaigt^{a)177}; wes sich auch mein gnediger her uff solichs erbotten, hetten sie unzweifelich aus den schriften meines gnedigen hern auch vernomen¹⁷⁸. Daruff^{b)} sie dan, domit diese gebrechen ain wenig gelindert werden, nichts erhalten noch erlegt hetten mogen, allein ytzt zum letzten, das etzliche artikel des betzglichen frids solten geringert und etwas gemessigt werden. Was auch sein furstliche gnade^{c)} widerumb fur antwort gegeben, und sonderlich^{d)} des stilstandts halben gebeten, des hetten sie unzweifelich numer auch gut wissens.

Dieweyl aber sein furstlichen gnade noch bits uff disen heutigen tag kain entlicher trost zukomen^{e)}, wes sich sein furstliche gnade und derselbs underthanen aus solcher underhandlung^{f)} guts versehen sollen ('g-und nichts anderst befinden dan^{g)}, das sein furstliche gnaden durch [1v] ('h-des konigs uffzugk^{h)} ye lenger ye serer von dem krigklichen her und krigsfolck mit mordt, raub und brandt beschedigt und angetast wurdt, des sich dan ye sein furstliche gnaden, dieweyl sie all und nicht die wenigsten ('i-vonwegen irerⁱ⁾ schicker des heyligen romischen reichs zu koniglicher irlaucht abgefertigt^{j)}, uber die gleichmessige erbietung ('e-sein furstliche gnaden^{e)} in kain wegg versehen het, so sein doch sein furstliche gnaden ('k-teglichs von derselbigen underthanen angelangt und ersucht^{k)}, dieweyl sie durch solche krigklich^{l)} uffhalten^{m)} von tag zu tag, wie obergemelt, ('e-nichts dester weniger^{e)} beschedigt, werden sie verursacht, uff mittell und wege zu gedencken, domit sie solchem schaden furkommen mochtenⁿ⁾.

Derhalben uff disen weg gedacht, dieweyl noch bitsher durch ('e-die botschafter^{e)} nichts fruchtbars hat konnen oder mogen bey koniglicher irlaucht erlangt werden, wiewoll disfals unzweifelich an irem vleis nicht gemangelt, das sie fur gut angesehen, meinen gnedigen her von Helspergk¹⁷⁹ ('i-durch etlich aus irem mittelⁱ⁾ ersuchen zu lassen, domit sein gnad mit rat und hilf seiner hern und freundt ('e-an koniglichem hof^{e)}, und sonderlich des hern ertzbischoffs von Genisen¹⁸⁰, die sach dohyn wolten handeln, das konigliche irl-

¹⁷⁵ Henricus a Miltitz (1475-1545), ab a. 1500 in ordine BMV Theutonicorum, 1514-1521 procurator (pfleger) Neidenburgensis (Polonice Nidzica).

¹⁷⁶ Feria secunda post sextam dominicam Paschae, quae a. 1520 fuit 21 Maii.

¹⁷⁷ Vide additamentum ad N. 21; cfr. epistulam Friderici ducis Legnicensis ad Albertum, 3 V 1520 datam, apud Krämer, p. 215-216.

¹⁷⁸ Cfr. supra, N. 21.

¹⁷⁹ Fabianus a Lossainen (circa 1470-1523), epus Varmiensis ab a. 1512 (residebat Heilsbergae).

¹⁸⁰ Ioannes Łaski, aepus Gnesnensis.

aucht, mein gnediger her, ain sicher cristlich glait, personlich zu derselbigen zu komen, geben wolt, domit sich^o) sein furstlich gnaden diser gebrechen, (ⁱwie solche vertragen mochten werdenⁱ), mit seiner koniglicher irlaucht allein hetten zu beratschlagen und zu bereden.

Dieweyl nu (^e-sein furstliche gnaden-^e) in diser obligenden not^p) durch manigfertig anhalten und ersuchen der underthanen, (ⁱ-und sonderlich durch erbarmung des armen volcks, darzu geursacht, holt sein furstlich gnadenⁱ) dieses nicht wissen zu weigern, sonder^r) solichs gleicher gestalt an meinen gnedigen hern von Helspergk durch ine, hern Hainrichen, auch bitten und werben lossen, solich glait zu erlangen vleis furzuwenden, domit diese sach [2r] in mitler zeyt dis glaits zu ainem anstandt kommen mocht. Das dan mein gnediger her, der hohemaister, ine als den botschaftern, domit sie der ursach verständigt, nicht wolt bergen, mit gnedigem begeren und gutlicher lere, sie wolten ine dits irer handlung nach nicht beschwerlich sein lassen, sonder so sie in solchen reten dem von Helsperk, desgleichen hern Hainrichen von Miltitz, hilflich und retlich sein mochten, wie mein gnediger her nicht zweifelt, (ⁱ-gantz nutzlich-ⁱ), sie wolten sich hierin dermassen erzeigen, domit solich glait erlangt und ausgebracht werden mochte, auch dasselbig dermassen helfen zuwegebringen, domit solichs seiner furstlichen gnaden nicht nachtailig aufgelegt, dann sein furstliche gnaden ye (ⁱ-und allwegen-ⁱ) des erbietens gewesen, diese gebrechen^s) viel lieber in der gute^t) vertragen zu sehen, dan in ander wege zu suchen¹⁸¹. Das will mein gnediger her, der hohemaister, umb ain yden, nach seinem standt (ⁱ-f[reundlich vordienen-ⁱ]), gnediglich beschulden und erbieten.

- a) *Sequitur expunctum*: auch doneben verstdigt
- b) *Sequitur expunctum*: dann nach bits her durch
- c) *Abbreviatio*: f. g.
- d) *Suprascriptum pro expuncto*: was sein f. g.
- e) *Suprascriptum*.
- f) *Correctum ex*: irer handlung
- g-h) *Adscriptum in margine pro expuncto in textu*: Zukonen allein
- h-h) *Adscriptum supra pro expuncto*: solich iruffzyhen
- i-i) *Additum in margine*.
- j) *Sequitur expunctum*: nicht versehen

- k-k) *Additum in margine pro expuncto in textu*: nicht unbillig
- l) *Supra unum verbum penitus expunctum*.
- m) *Sequitur expunctum*: von tagen und unnderhandlung bey koniglicher irlaucht
- n) *Sequitur expunctum*: wes derhalben an derhelben sein f. g.
- o) *Supra expunctum*: wir uns
- p) *Sequitur expunctum*: und sonderlich
- r) *Supra expunctum*: haben wir
- s) *Sequitur expunctum*: vil lieben in der so sovil sein f. g.
- t) *Sequitur expunctum*: die in der wege zu sichten

¹⁸¹ Iste salvus conductus, una cum induitiis 14 dierum, concessus erat Alberto a rege die 31 Maii "ad intercessionem oratoris Summi Pontificis" (Działyński AT V, p. 256). Cum oratores principum Germaniae et regis Hungariae discesserint Torunia die 23 Maii (Krämer, p. 42-43), Miltitz cum solo Ferrero de hac re agere potuit (cfr. Biskup WP, p. 212).

N. 25.

**Zacharias Ferreri et Ioannes de Tedaldis
Alberto, magno ordinis Theutonicorum magistro**

Toruniae, 30 V 1520.

Scribunt se Henrico de Miltitz, ad eum redeunti, commisisse, ut litteras has ipsi redderet et omnia, quae in negotio pacis restituendae fecissent, narraret. Hortantur eum, ut condiciones regis accipiat, et se abituros nuntiant.

Or.: Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 23757 (autogr. Ferrerii?); a tergo inscriptio et sigillum Ferrerii.

Rev.me Domine et ill.me Princeps. Commendationes plurimas.

Redeunti ad Dominationem vestram ill.mam venerabili domino Henrico de Miltizs, nuntio suo¹⁸², noluimus praetermittere, quin ad eam scriberemus. Narrabit idem dominus Henricus omnia, quae hactenus a nobis pertractata sunt apud regiam maiestatem, de quibus et superioribus nostris nuper ad eandem Dominationem tuam ill.mam scripseramus¹⁸³. Aliud nunc superest, nisi quod rebus in tanto discrimine existentibus, breviori ac celeriori via consulendum est de duobusque malis minus eligendum. Quod nos, pro vestra et universal quiete religionis christiana et voto Sanctissimi Domini Nostri nostraque expeditione acceleranda, summopere fieri exoptamus. Hinc enim, si res diutius in suspenso perduraverit, nobis omnino est abeundum, postquam nihil omisimus, quod ad mutuam pacem et concordiam faceret. Caeterum si quid pro Dominatione tua ill.ma valemus, semper nos et obsequia nostra ubilibet pollicemur. Quae et faustissime valeat ac nos commendatos non dignetur habere. Datum Toruniae, XXX Maii M.D.XX.

Eiusdem Dominationis tuae ill.mae

addictissimi Zacharias, epus Gardiensis
et ^(a)Ioannes Tedalldj^{-a)}, oratores apostolici.

a-a) *Manu Ioannis de Tedaldis.*

¹⁸² Cfr. supra, N. 24.

¹⁸³ Cfr. supra, N. 23.

N. 26.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Erasmo Ciołek, oratori suo Romae**

Toruniae, 2 VI 1520.

Laudat operam in conciliando secum magno ordinis Theutonicorum magistro a nuntiis summi pontificis ac oratoribus Ludovici regis Hungariae et Bohemiae neconon principum electorum Germaniae praestitam. Conatus tamen eorum inutiles fuisse asserit ob Alberti contumaciam, qui, auxiliis ducis Moscoviae nixus, bellum incepit. Ideo se ad arma coactum esse dicit (quae prospere illi cadunt, ipso magistro Regiomonti obsesso), petitque, ut omnia, quae scribit, pontifici (qui in brevi suo severius eum tractavit) et aliis referat, bonam illius voluntatem comprobando. Notum facit Albertum misisse Henricum a Miltitz, qui ipsi salvum conductum et indutias 14 dierum impetravit. Adiungit commissiones de adiuvando Ioanne Boner in recipienda Mediolani dote reginae Bonae et de provisione nominato epo Posnaniensi impetranda. Gratias agit pro gratia iubilaei.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska, 3 f. 56r-57r (n. 239).

Cop. coaeva: Kraków, BJ, ms. 6548 p. 786-790 (sine dato).

Ed.: Działyński AT V p. 251-253 (cum lacunis et mendis).

Episcopo Plocensi, ^(a-2) Iunii 1520^{-a})
post discessum oratorum et post missos ad regem a Magistro¹⁸⁴.

Sigismundus etc. Rev.de in Christo pater et domine, nobis sincere dilecte. Sabbato Carnisprivii praeteriti^{b)}¹⁸⁵ pervenere huc ^(a-Rev.dus d.nus Zacharias episcopus Gardiensis et Magnificus Ioannes Thedaldi-a), Ss.mi Domini Nostri oratores, quorum nobis^{a)} adventus gratissimus exstitit, cum illius Sanctitatis intuitu, tum vero ob eorum eximiam virtutem, eruditionem ac in maximis quibusque rebus obeundis dexteritatem et singularem prudentiam. Pergrato igitur iocundoque ac filiali plane animo hoc illius Sanctitatis in nos officium excipimus, cui res nostras paternae curae esse animadvertisimus, Vestræ quoque Paternitatis^{c)} in eis hac mature expediendis operam non probamus modo, sed magnopere etiam collaudamus, utpote quae nobis non vulgariter accepta existat. Ex eo autem die, quo primum hoc venere, nihil operaet,

¹⁸⁴ Post discessum oratorum principum Germaniae et Ludovici, regis Bohemiae et Hungariae, ac post adventum Torunia Henrici a Miltitz, cfr. supra, notam 181.

¹⁸⁵ Haec dies anno 1520 fuit 25 Februarii, cum tamen secretarius post 4 menses adventum nuntiorum describat, errare videtur, nam adventus eorum sine dubio sabbato ante carnisprivium, id est 18 Februarii, locum habuit.

studii, diligentiae, laborum eb eis praetermissum est, quo bello huic aliquis statueretur^{d)} modus, cum nostra, tum potissimum communis reipublicae christianaee causa, cui septi munitissimi vicem nostro impendio ac marte soliusque regni ac (^{e)}nobilitatis nostrae^{e)} pectoribus, nullo auxiliante, tot annos indesinenter praestamus.

Fuere etiam hic apud nos diebus sane plurimis Ser.mi d.ni Ludovici, Ungariae et Bohemiae Regis, insignes oratores, Ill.mus videlicet d.nus Fredericus, Dux Legniczensis, et Rev.dus d.nus Episcopus Iauriensis¹⁸⁶. Affuerunt etiam una Ill.morum Sacri Romani Imperii principum electorum octo oratores, viri et doctrina et gravissimarum rerum usu praestantes¹⁸⁷; qui, communicato unanimique cum Ss.mi Domini Nostri simulque Ser.mi Regis prae-fati oratoribus consilio, nihil intentatum reliquere, quo hoc incendium restinguerent, missis etiam semel et iterum ad magistrum litteris ac nunctiis, qui eum principum suorum nomine salubriter commonefacerent, ut si non sui, at saltem subditorum suorum causa saperet tandem ac novissima praevideret, sciretque nos (^fad pacem illam perpetuam^f), tantorum principum, ac imprimis Ss.mi Domini Nostri, interventu, (^ahaud gravate accessuros et^a) ad aequissima quaeque, pacis studio, condescensuros. Cum vero^g nihil inde pacati responderetur, viderentque oratores ipsi se et oratores suos ne quicquam adnitti apud eum [sic], qui ratione posthabita, totus perturbationi vacaret, nec illis spes ulla esset reliqua eum unquam ad se redditum et ad rationem revocaturum animum, magno suo cum dolore et illius pertinaciae iustissima insectatione, hinc abierunt¹⁸⁸.

Huic autem^h contumaciae suaee materiam et spiritum, adeoⁱ feroce*s*^j, suggerebat^k, cum ex Germania tum vero a Moscho (ob foedus et indignissimam conspirationem cum illo initam) indubia spes auxilii¹⁸⁹. Illius namque Scysmatici [sic] insignes oratores in hanc usque diem apud se magno in honore habet¹⁹⁰. *[Desribit deinde casum cuiusdam praesidiarii Melsacensis, Saboy vocati, quem a suis captum, Albertus Mosco dono misit, ut eum - comminationibus coactus - convinceret de victoriis a Cruciferis de Polonis reportatis; istamen, a Livonibus in via liberatus, ad regem rediit et omnia illi retulit]*¹⁹¹. [56v] Sed id genus multa^l referri possent^m, quibus (^amagister ipse^a) in nos-tros usus ac mores immanissime abusus est.

Cum igitur omnibus iam liquido constaretⁿ illum Ss.mi Domini Nostri^o auctoritatem et aliorum principum interventum pro nihilo ducere, nec resi-piscere velle, nec quicquam minus quam de reconcilianda inter nos gratia co-

186 Ioannes Gosztonyi, cfr. supra, notam 171.

187 Cfr. supra, notam 164.

188 Die 23 Maii 1520.

189 De quo testantur plures litterae Basillii ducis Moscoviae et ad eum datae, quae publicatae sunt in *Regestis a Hubatsch editis* (cfr. Joachim-Hubatsch RHD I/3 n. 22379-24761 passim).

190 De Alexandro Semenov eiusque sociis Regiomonti tunc praesentibus, vide Joachim-Hubatsch RHD I/3 n. 23770.

191 De captivo isto scribit etiam dux Moscoviae ad Albertum, cfr. Joachim-Hubatsch RHD I/3 n. 23771.

gitare, nos certe illius tanta temeritate adacti^p, bellum, quod quidem (^r-inviti ac lacessiti propulsamus^r), inviti ac reluctantes prosequimur ac in hanc usque diem bene ceptis (^s-insistimus. Iamque, oppidis^s) et arcibus munitissimis multis captis^t, exercitus noster Montem Regium inibique magistrum ipsum obsidet, cuius pervicacia nulla suorum clade ad quietiora consilia flecti potest.

Quae omnia Paternitati^u v.rae hac potissimum de causa incognita esse noluimus, ut si quis fautorum Magistri nostra istic facta quovis modo insimulare^v niteretur, haberet Paternitas^u v.ra quo innocentiam nostram purgare tutarique^b posset. Divinam namque Maiestatem, cui omne cor patet, testamur, regioque verbo nostro asseveramus, nobis nunquam fuisse in animo, nedum cum Nepote nostro, sed ne cum ullo quidem christiano principe bellum gerere, sed invitatos nos ad arma devenire oportuisse; quae quidem in certissimo etiam victoriae cursu ponere parati sumus, modo ille hostilem ponat animum malitique officio et benevolentia, ad quam semper propensi sumus, (^a-quam contumacia et hostilitate^{-a}) decertare.

Mittimus Paternitati^u v.rae litterarum exemplar, (^w-quibus Ss.mo Domino Nostro^{-w}) respondemus ad breve [57r] illud satis acerbum, quo nos ille, immemor querelarum nostrarum, reprehendit, cum illo vero (quod satis mirari nequimus) longe agit mitius¹⁹², qui quinquennalibus induciis violatis, prior bellum nobis inferre non dubitavit, educto in nos insigni ex Germania exercitu¹⁹³. Nuper, subditorum fremitu compulsus, qui haud dissimulanter iam, sed ex professo et publico tandem^a) consilio sese eum minime laturos dictabant, ni nobiscum in gratiam redire studeret, misit huc ad nos oratorem (^a-suum Henricum^{-a}) Melticz¹⁹⁴; miserunt insuper una cum illo Nobilitas et Civitates alios quinque, qui illi tutum ad nos accessum impetrarent, quem nos^x, Reipublicae Christianae causa, non gravate concessimus, additis etiam (pacis studio) dierum quatuordecim induciis, dummodo ille praestandi debiti causa venire instituisset¹⁹⁵.

Licet autem nondum plane compertum habeamus praestiturasne sit ille debitum necne, et quem tandem exitum bellum hoc sit habiturum, tamen Paternitatem^y v.ram commonendam duximus, ne deinceps admittatur pacem illam perpetuam confirmare, quandoquidem recentiorem hanc, si quae tandem contigerit, (^z-confirmari erit necesse. Brevi namque^{-z}) huic fabulae extremum actum impositum iri speramus. *[Mandat, ut adiuvet Ioannem Boner in*

¹⁹² Copia illius brevis, 26 II 1520 dati, ad usum cancellariae regiae facta, invenitur Varsaviae, BN, BOZ, Theca Górski 3 f. 35r-36v; minuta responsi regis, Toruniae eodem die 2 VI 1520 signata, invenitur in eadem Theca Górski 3 f. 58r-59v (n. 240) et est editum a Działyński in AT V, p. 248-250; alterum breve, quo pontifex supradicta argumenta regis admittit, 15 VII 1520 datum, invenitur in eadem Theca Górski 3 f. 66r (ed. Działyński AT V, p. 280-281).

¹⁹³ Exercitus, quem in Germania conducebat Theodoricus a Schönberg, debebat esse usque ad 10 milia militum, re tamen non fuerunt plures quam duo millia, qui mense Iunio 1520 Montem Regium appulerunt, v. Biskup WP, p. 226-237.

¹⁹⁴ Henricus a Miltitz, cfr. supra, N. 23.

¹⁹⁵ De salvo conductu et induitiis supradictis v. supra, annotationem 181.

accienda Mediolani secunda rata dotis reginae Bonae. Gratias agit pro indulgentia iubilaei ab ipso apud pontificem impetrata, quae tamen nimis tarde venit. Commendat, ut provisionem pontificiam nominato suo ad dioecesim Posnaniensem, vicecancellario regni, Petro Tomicki, quam primum obtineat]. Quod Paternitatem^y v.ram, pro iussu et voluntate nostra, accurate effecturam confidimus. Quae bene valeat. Datum Thorunii.

- a, a-a) *Adscriptum in margine.*
- b) *Adscriptum supra.*
- c) *Suprascriptum pro expuncto: Synceratatis*
- d) *Correctum ex: statuatur*
- e-e) *Correctum ex: Nobilitate*
- f-f) *Correctum ex: de pace illa perpetua*
- g) *Suprascriptum pro expuncto: tandem*
- h) *Suprascriptum pro expuncto: vero*
- i) *Sequitur expunctum: vehementes*
- j) *Sequitur expunctum: subministra[...]*
- k) *Sequitur expunctum: indubitate*
- l) *Suprascriptum pro expuncto: sexcenta*
- m) *Sequitur expunctum: egregia scilicet strategmata*
- n-n) *Sequitur expunctum: testatumque esset*
- o) *Sequitur expunctum: interventum*
- p) *Correctum ex: adactos*
- r-r) *In margine pro expuncto in textu: si avi- ti paternique Regni nostri iura, si di-*
- gnitatem, si nostrorum fortunas, si aras ac sacra denique ipsa salva esse voluimus, eum bellum in invitox [sic] prose qui oportuit
- s-s) *Suprascriptum pro expuncto: insistere. Oppidis igitur itaque [sic]*
- t) *Sequitur expunctum: iam tandem*
- u) *Suprascriptum pro expuncto: Synceratati*
- v) *Sequitur expunctum: auderet*
- w-w) *Suprascriptum pro expuncto: pontifi ciae beatitudini*
- x) *Sequitur expunctum: licet iam Montis Regii pene potiti*
- y) *Suprascriptum pro expuncto: Synceratam*
- z-z) *In margine pro expuncto in textu: con firmandam curabit. Brevis namque*

N. 27.

Responsum nomine Sigismundi I, regis Poloniae Zachariae Ferreri et Antonio de Breves datum

[Toruniae, 30 VI - 3 VII 1520].

Rex gratias eis agit pro opera in negotio pacis cum Ordine Theutonico trac-tata. Cum tamen magnus ordinis magister, regia benignitate abusus, ad nullas pacis condiciones acquiescere voluisse, ideo eorum operam se non amplius indi-gere significat et ut Ferreri Vilnam se conferat permittit.

Min: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 3 f. 65r (n. 245). In capite textus manu Stanislai Górska: "Zachariae Epo Gardiensi intra bellum, quando Magister Thoruniam venit ad regem", et eiusdem manu in margine dextro: "Antonius de Breves de Sabaudia, nuncius Apostolicus, ex Thorunia discessit 4-ta Iuli 1520".

Cop. coaevae: Kraków, BJ, ms. 6548 p. 785-786;
 Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 294v-295r;
 Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 437-441.
Ed.: Działyński AT V, p. 282.

Responsum datum a rege
 Zachariae Episcopo Gardiensi et Antonio de Breves¹⁹⁶

Sacra Regia Maiestas, Rev.me Pater et Magnifice Domine, detinere hic dignata est V.ras Dominationes longius opinione sua, quod speravit Illustrem D.num Magistrum Prussiae reduci potuisse ad pacem et concordiam his condicionibus et mediis, quae Maiestas sua illi proposuerat, etiam ultra sentenciam subditorum suorum, ut et postulatis Ss.mi Domini Nostri, quae Dominationes V.rae retulerunt, satisfaceret, reique christianaee commodaret et necessitudini sanguinis aliquid ultra debitum etiam tribueret.

Verum quando ipse D.nus Magister, nullam rationem habens benignitatis, quam illi Maiestas sua per hoc omne tempus exhibere voluit, ut ea ipsa pax et concordia effectum suum sortitae fuissent, praestando illi inducias cum summo suo dispendio et iactura temporis ac nonnihil etiam de iure suo et regni sui, idque egre ferentibus regnolis, decadendo¹⁹⁷, non solum non accessit ad ellas aequas et decentes pacis condiciones, sed etiam ducendo Maiestatem suam promissis simulatis, illam quoquomodo, ut V.rae Dominationes viderunt, collusit¹⁹⁸.

Nec habens Maiestas sua ex his et aliis actionibus illius aliquam spem eum ad ullam aequam et honestam concordiam accessurum, amplius Dominationes V.ras statuit non detinere; habensque perspectam earum fidem et studium erga se in hac causa sua, non vulgares illis agit gratias, et postulat ab eis, ut, cum Maiestas sua hic illas ea ratione tenuit, ut Ss.mo Domino Nostro gratificari et rei christianaee non deesse potuisset, velint eam moram boni consulere et in eam partem accipere.

Vestra vero Paternitas, Rev.me Domine, Lithuaniae proficisetur ad capienda testimonia de miraculis divi Kasimiri, fratris Maiestatis suae, ut in commissis habet a Ss.mo Domino Nostro¹⁹⁹. Quod si interim aliquid accidere, quo videretur opus esse opera vel adventu huc Dominationis V.rae, id illi

¹⁹⁶ Antonius de Breves, Sabaudus, de quo praeterea nil aliud scimus, fuit verisimiliter comes legationis Ferrerii; mense Iunio exeunte obtinuit is a rege missionem secretam ad regem Galliae, pacta amicitiae ipsi propositurus, cfr. instructionem ipsi datam 4 VII 1520 (ed. Działyński AT V, p. 204-206, cfr. Pociecha KB II, p. 171-172).

¹⁹⁷ Cfr. supra, N. 24, 26.

¹⁹⁸ Albertus, habita notitia, quod sibi 2 milia peditum a rege Daniae sibi adiutorio mittuntur, obtempo 28 VI 1520 a rege salvo conductu (or. in GStPKA, XX, OBA, n. 23849), die sequenti Torunia recessit, ubi venerat 18 VI, pacis tractandae causa, cfr. Biskup WP, p. 215-224.

¹⁹⁹ Cfr. N. 2, 3, 9.

Maiestas sua declarabit, habens iam, ut dixi, perspectam et commendatam eius fidem et diligentiam, quam hactenus in eo negotio exhibuit.

N. 28.

**Leo X, pontifex maximus
Zachariae Ferreri**

Romae, 7 VII 1520.

Petitionibus regis Poloniae annuens, extendit ad regnum Poloniae facultates olim ipsi productibus Lithuaniae et Moscoviae concessas.

Reg.: Kraków, AKM, Acta Officialia Cracoviensia 42 p. 446-447, sequitur post textum bullae earundem facultatum, manu eiusdem Alberti de Kruszewo exaratum et collationatum (cfr. supra, N. 11).

Reg.: Warszawa, AGAD, Metr.Kor. 37 f. 95r-v.

Reg.: AV, Reg.Vat. 1201 f. 390r-v.

Ven.li fratri Zachariae, Epo Gardensi, prelato nostro domestico et referendario, ac in Polonia et Prussia nuncio et oratori, Leo papa decimus.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cum alias Fraternitatem tuam ad char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae regem illustrem et magnum Lithuaniae ducem, pro nonnullis nostris et christianaे religionis arduis negotiis nostrum et apostolicae Sedis nuntium destinaverimus, tibi ut erga praedicti Lithuaniae praefatae ac Moscoviae ducatus dumtaxat personas te gratiosum reddere posses, nonnullas facultates concessimus, prout in nostris desuper confectis litteris, sub data Calendas Novembris, pontificatus nostri anno septimo, plenius continetur²⁰⁰.

Et quia idem Sigismundus rex desiderat, ut eiusdem facultatibus in toto eius regno et terris sibi subiectis uti valeas, ut suis litteris nobis nuper significaverit²⁰¹, nos itaque ipsius Sigismundi desiderio libenter annuentes, eidem Fraternitati tuae, ut omnibus facultatibus, gratiam dumtaxat conceruentibus, quibus in dictis Lithuaniae et Moscoviae ducatis, ex dicta nostra concessione uti vales, etiam in dicto regno Poloniae et terris eidem regi immediate vel alias quomodolibet subiectis, erga omnes et singulas personas eiusdem^{a)} regni et terrarum huiusmodi et in eis habitantes, uti libere ac liceite valeas, de apostolicae potestatis plenitudine ac speciali dono gratiae,

200 Cfr. supra, N. 11.

201 Cfr. N. 18.

praesentium tenore concedimus ac indulgemus, ipsasque litteras quoad hoc extendimus pariter et ampliamus. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis [sequuntur clausulae] [447] minime valitulis. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die septima^{b)} Iulii, millesimo quingentesimo vigesimo, pontificatus nostri anno octavo.

Evangelista²⁰²

^{c)}-Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, die vicesima prima mensis Junii, auscultata et collacionata per me, Albertum Iacobi de Cruschevo, clericum Gnesnensis diocesis, sacra apostolica auctoritate notarium publicum, et concordat cum originali, de quo praesentibus fidem facio.

Idem notarius qui supra
manu propria subscripsi^{c)}.

a) *In omnibus mss: in eisdem.*

b) *In Reg.Vat.: sexta, quod mirandum non est,*

nam brevia inibi e minutis transcribebantur.

c-c) *Eadem manu.*

N. 29.

Leo X, pontifex maximus
Zachariae Ferreri et Ioanni de Tedaldis

Romae, 12 VII 1520.

Concedit eis potestatem causam litis inter regem Poloniae et magnum ordinis Theutonici magistrum examinandi, et ut tandem finiatur, tractatum pacis anno 1466 inter Casimirum regem Poloniae et Ludovicum de Erlichshauen, tunc ordinis magistrum, initum ac a Rudolfo de Rüdesheim, legato papae Pauli II, confirmatum, reformandi, necnon nova pacta nomine suo confirmandi.

Reg.: AV, Reg.Vat. 1201 f. 162r-163v.

Leo etc, ven.li fratri Zachariae, epo Gardiensi, prelato domestico, et dilecto filio Ioanni de Tedaldis, equiti aurato, in Polonia nuntiis et oratoribus nostris, salutem etc.

²⁰² Tarasconi.

Cum certa diurnaque experientia monstrante animadverteremus nihil esse in humanis rebus tam opportunum, nihil tam salutare, quam pacem, nihil vero tam adversum tamque exitiosum, quam discordiam et bellum, iam inde a principio pontificatus nostri omnia studia omnesque cogitationes nostras ad composcendam fovendamque universalem christianorum pacem contulimus. In quo ita persistendum nobis esse duximus, ut nunquam, nisi ea prope omnes experta, Domino dante, et confecta, quiesceremus. Nam post acceptas a christianis principibus quinquennales inducias²⁰³, videmus ocium et speciem quandam salutaris pacis in universo christiano orbe constitutam, qua de re habemus Domino Deo nostro gratias immortales.

Quod si carissimus in Christo filius noster Sigismundus, Poloniae rex illustris, et dilectus filius nobilis vir Albertus, marchio Brandenburgensis, ordinis Beatae Mariae Theutonicorum magnus in Prussia magister, iam non domesticis quidem, sed vetustis dissensionibus et bellis finem imponerent, quae iam campiductores ipsorum multa centena milia christiani sanguinis miserabiliter profuderunt, seque cum nostra et aliorum principum voluntate conformarent, et pacem, quietem omnium rectius, si haberent, nam sine pace Dei et [162v] proximi dilectio haberi et Auctor pacis congrue coli non possit. Et propterea, cum hi maiora odia inter se quotidie acerbius exerceant, non sine sanguinis effusione, desideramus, cum mente revolvimus, quot et quanta incommoda et mala ex dissensione proveniant, et quot bona ex concordia et pace derivent, ut ipse rex et magnus magister omni cum studio paci et concordiae intendant, ut etiam vinculum sanguinis inter eos itidem exposcit, et quas intestinis bellis opes consumunt, eas conferre velint ad communem christianorum rem succurrentam sustentandamque contra Turchas expeditionem.

Omniaque ad hoc nobis tentanda esse duximus, ut eosdem regem et magistrum tandem ad aliquam compositionem et concordiam inducamus, ut tandem pacis commoda et concordiae bonum amplificantur. Nos, qui more pii patris, regis et magistri praedictorum ac regni et dominiorum eorundem unitatem et tranquilitatem non solum appellamus, sed summis desideriis affectamus, ut ipsa iuxta nostri cordis desideria pervenire et in regno et domino magistri huiusmodi solidari valeat, vos, de quorum eximia fide et dexteritate ac prudentia et rerum agendarum experientia singularem fiduciam gerimus in Domino, et quos ad eundem regem ad pacem et concordiam cum Moscho et aliis scismaticis firmandam et alia fidei exaltationem negotia concernentia peragenda destinavimus [163r], vobis omnes et singulas controversias et differentias inter regem et magistrum praefatos et eorum subditos examinandum ac concordiam et pacem, alias per bonae memoriae Rodolphum, epum Laventinum, tempore felicis recordationis Pauli papae II, praedecessoris nostri, in partibus illis eiusdem Pauli praedecessoris nuntium apostolicum cum potestate legati de latere, inter clarae memoriae Kazimi-

²⁰³ Cfr. N. 2

rum, moderni regis genitorem, Poloniae regem, et quondam Ludovicum, dictae militiae tunc magnum magistrum, initam²⁰⁴ et forsan per eundem Paulum praedecessorem confirmatam, et alias per dictae sedis legatos et nuntios ac oratores factas, reformandi, mutandi et moderandi; et ad effectum huiusmodi eos et quosvis alios ab omnibus sententiis, censuris, poenis absolveendi, ac quaecumque iuramenta relaxandi, omniaque alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quaelibet opportuna faciendi, disponendi, mandandi, gerendi et exequendi, plenam et liberam, tenore praesentium, concedimus facultatem.

Non obstantibus [privilegiis], quibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, etiam per litteras apostolicas, non tamen plenam et expressam ac de verbo in verbum de indulto huiusmodi mentionem [habentibus]; et quibuslibet constitutionibus, privilegiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus contrariis, etiamsi eis eorumque totis tenoribus haberetur in praesentibus mentione specialis. Nos enim concordiam et pacem, quam per vos de ipsorum [163v] regis et magistri consensu, concludere et firmari contigit, si illarum confirmatio a vobis petetur, in nomine illius, cuius vices in terris gerimus, pro illarum subsistentia firmiori libenter confirmabimus. Datum Romae apud S. Petrum, anno etc. millesimo quingentesimo vigesimo, quarto Idus Iulii, pontificatus nostri anno octavo.

A[ndreas] de Castello²⁰⁵

N. 30.

**Zacharias Ferreri et Ioannes de Tedaldis
Alberto, Ordinis Theutonicorum magno magistro**

Toruniae, 15 VII 1520.

Significant se de duobus capitulis pacis, ab eius oratoribus propositis et a rege reiectis (de terris ordinis in pignus demandatis non detinendis et de machinis bellicis restituendis) aliud consilium vix dare posse, quam ut tractationes longius non protrahantur; dolent se discedere debere pace non composita.

Autogr. Ferrerii: Berlin GStAPK, XX, OBA, n. 23903. In dorso litterarum inscriptione et sigillum.

- Ed.: Joachim PHA II, p. 336 (fragmentum).

²⁰⁴ Cfr. N. 1.

²⁰⁵ Secretarius pontificum Romanorum adhuc a. 1526.

Rev.me Domine et Princeps Ill.me, commendationes plurimas.

Habuimus ab oratoribus Dominationis Tuae Ill.mae²⁰⁶ capitula oblata Serenissimo regi et ab eo reiecta²⁰⁷, deinde et limitationes duorum capitulo rum a dicto Ser.mo rege alias ad iurandum assignatorum: primi scilicet super terris in pignus a Sua Maiestate, quoisque de refectione impensarum fiat arbitrium, nequaquam detinendis; secundi de machinis, quae sunt in Bransburgo²⁰⁸, Dominationi Tuae Ill.mae restituendis²⁰⁹.

Quas limitationes, quum rex itidem admittere noluerit (quum eas iidem ipsi oratores ex se ipsis et non de mandato et voluntate Tuae Dominationis Ill.mae proposuerint), rogarunt nos iidem oratores, ut super ea re consilium nostrum impartiremur. Nos eis, quod pro nostra sententia visum est, paucis explicuimus. Unum est (quod et alias scripsimus et coram Dominatione Tua Ill.ma narravimus) tantum morae nostro iudicio semper in detrius vergere²¹⁰. Et postquam regis voluntas iam fixa est et immutabilis, opus esse impraesentiarum magis facto, quam consilio. Propediem sumus discessuri, nec ultra hic morari possumus²¹¹. Dolemus admodum, dolebitque multo magis Ss.mus Dominus Noster papa, quod re infecta nos abscedere oportuerit. Sed dum cogitamus, quod nil debuimus facere, quod non fecerimus, Ss.mum Dominum Nostrum papam imprimis, deinde officium nostrum, in nullo, quod ad mutuam pacem faceret, defuisse; immo potius Deo et hominibus satisfecisse ostendimus. Caeterum ubicunque erimus, obsequia nostra Dominationi Tuae Ill.mae semper oblata esse volumus. Cui nos enixe commendamus. Et quae faustissime valeat. Datum Toruniae, XV Julii M.D.XX.

Eiusdem Dominationis Tuae Ill.mae

Addictissimi Zacharias, Episcopus Gardiensis
et (^a-Ioannes Tedalldj-^a), Ss.mi Domini N.ri oratores

a-a) Autographum.

²⁰⁶ Iob a Dobeneck, epus Pomesaniensis, et Henricus a Miltitz ac Henricus a Kittlitz, qui diebus 12-13 VII 1520 missionem suam apud regem Poloniae Toruniae explebant (cfr. Joachim-Hubatsch I/3 n. 23899).

²⁰⁷ Die 22 VI 1520 Albertus postulabat a rege, ut mitigarentur decisiones tractatus Toruniensis in iis articulis, de quibus iam antea per intermediarios tractatum est. Quae capita rex reiecit, cfr. Biskup WP, p. 218, 220.

²⁰⁸ Braunsberg (Braniewo), civitas eporum Varmiensium, quae tunc, a Cruciferis occupata, a Polonis obsidebatur.

²⁰⁹ Isti articuli, qui tractabant de restituendo magistro districtu Pokarmino in Prussia Inferiore, a Polonis in pignus accepto, donec iuramentum fidelitatis regi Poloniae praestiterit, et de machinis bellicis, quas Cruciferi Braunsbergae habebant, in compensationem expensarum belli dandis, propositi erant Alberto die 26 VI 1520, qui deinde, ope supradictorum oratorum, mitigare illos studebat (v. Biskup WP, p. 220-221).

²¹⁰ Cfr. supra, N. 25.

²¹¹ Cfr. N.27.

N. 31.

Zacharias Ferreri
Capitulo Ecclesiae Vilnensis

Vilnae, 29 XI 1520.

A capitulo rogatus, confirmat triplici vinculo, quod difficile rumpitur, omnia statuta Ecclesiae Vilnensis, ab episcopis illius dioecesis edita, ordinata et sancita, ac omnes exemptiones et privilegia, eidem capitulo ad instar illorum, quibus capitulo Ecclesiae Cracoviensis gaudet, concessa, necnon omnes donationes illi ecclesiae factas; statuitque conservatores eiusdem confirmationis episcopos Cracoviensem et Luceoriensem pro tempore existentes, vel eorum alterum.

Or.: Vilnius, LMA, Centr.Bibl., F. 6 (Vilniaus Kapitulos Fundo pergamentai), n. 114. Sigillum, olim appensum, desideratur.

Cop.: Vilnius, LMA, Centr.Bibl., F. 43 (Vilniaus Kapitulos Fundas), n. 202: Liber Privilegiorum Capituli Vilnensis, pars 1 p. 54-57 et (alia copia) pars 2 p. 219-222.

- **Ed.:** Kurczewski KZ II, p. 35-37.

Zacharias, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Gardiensis, Sanctissimi in Christo patris, Domini nostri, d.ni Leonis, divina providentia papae decimi, Praelatus domesticus et Referendarius secretus ac per universum Regnum Poloniae et magnum Ducatum Lithuaniae omnesque et singulas terras, mediate et immediate vel alias quomodolibet eisdem Regno et Ducatu subiectas, cum omnimoda legati de latere et maioris Penitentiarii de Urbe potestate Nuncius et Orator, dilectis nobis in Christo Venerabilibus Praeposito, Praelatis et Capitulo Ecclesiae Vilnensis in eodem magno Ducatu Lithuaniae constitutae, salutem in Domino sempiternam.

Ecclesia Vestra, quae in catholica religione nova in Christo et fructuosa plantatio est et cuius vos honorabilia et praecipua membra estis, tanto maioribus gratiarum praerogativis ab Apostolica Sede muniri et decorari properetur, quanto in medio generationis pravae ac perversae²¹², scismaticorum scilicet, habitans, suorum filiorum mater fertilissima novos quotidie fructus in agro dominico parturit, novumque quotidie spiritualis fetus lucrum ad apostolicum gremium fert, multimodis illustrata virtutibus, et ex scismatis plurimos assidua opera ad salutis portum et Sanctae Romanae Ecclesiae unitatem adducit.

Eapropter, cum nobis exposueritis Statuta plurima et Constitutiones, rationi consona laudabilesque et approbatas, ac praescriptas Consuetudines, a tempore etiam susceptae catholicae religionis, apud vos existere et vi-

²¹² Deuter, 32, 5.

gere, quae a bonae memoriae Rev.dis in Christo patribus Iacobo et Mathia, Nicolaoque ac Ioanne et Alberto Thabor, olim Vilnensibus Episcopis²¹³, necnon a Rev.do in Christo patre Ioanne ex ducibus Lithuaniae, moderno Vilnen-si electo²¹⁴, successive sua auctoritate pontificali et ordinaria, a vobis quoque, generalis Capituli vestri praefati comuni decreto, in dicta Ecclesia, pro decore domus Dei et cultu divino, mutuaque pace et unitate servandis, legitime sancita, ordinata, introducta, edita, promulgata et confirmata sunt; insuper et plurimas exemptiones, immunitates, antelationes arbitrales et amicabiles compositiones, sententiasque diffinitivas in vestrum favorem rite latas, quae et ex eo, quod in rem iudicatam transivere, firmum robur adeptae sunt, indulta etiam et privilegia vobis vestroque Capitulo, apostolica quoque auctoritate concessa; praecipueque quod dicta Ecclesia Vilnensis vestrumque Capitulum ad instar Cracoviensis Ecclesiae et Capituli, cum absoluta et libera iurisdictione et cohortione [sic] super vicarios, mansionarios, altaristas seu capellanos et clericos omnes in eadem vestra Ecclesia institutos, tam pro iuribus omnibus quam oblationibus in eadem Ecclesia, quomodolibet et in missis votivis fieri consuetis, apostolica auctoritate erecta sunt et sub Christi vexillo firmata; quodque ab eadem Sede vobis indultum est, ut in causis a nullo nisi ab eodem vestro Capitulo vel ab eadem Sede, seu eius vi-ces gerentibus, iudicari possitis, aliasque plurimas concessiones et praero-gativas aequo et iusto consentaneas; praeterea terras, flumina, rivos, molen-dina, lacus, stagna, pontes, passus, nemora, silvas, pascua, agros, decimas, villas, grangias, domos, oppida, castra, iura, diversaque bona alia, mobilia et immobilia, cum suis dependentibus [sic], annexis et connexis vobis et Capi-tulo vestro a piae olim memoriae Poloniae Regibus, Lithuaniae Ducibus, aliisque Principibus et personis catholicis et Deo devotis, pro vestro statu de-center servando ac vestra sustentiatione rite concessa, legata et donata sunt.

Quo omnia et singula praedicta triplici vinculo, quod difficile rumpitur, maiorique adhuc robore et munimine contra impugnatores et contradictores quoilibet fulciantur, nobis humiliter supplicastis, ut ea quoque nos, aposto-lica auctoritate nobis commissa et qua fungimur, confirmare et approbare, necnon per spirituales conservatores vobis et vestro Capitulo praefato a no-bis deputandos et assignandos, per censuras ecclesiasticas, eadem auctorita-te apostolioca illaesa servare, defendere ac tueri de spirituali dono gratiae dignaremur.

Nos itaque, cupientes iustis desideriis vestris in Domino satisfacere, ve-stris in hac parte supplicationibus inclinati, praedicta Statuta et Constit-

²¹³ Iacobus Plichta OFM († 1407), epus Vilnensis ab a. 1399; Matthias de Vilna († 1453), primus epus Samogitiensis (a. 1417), epus Vilnensis ab a. 1422; Nicolaus Dzierzkowicz († 1467), epus Vilnensis ab a. 1453; Ioannes Łosowicz († 1481), epus Luceoriensis ab a. 1463 et Vilnensis ab a. 1468; Albertus Tabor († 1507), epus Vilnensis ab a. 1492, strenuus defensor privilegiorum Ecclesiae Lithuaniae, con-vocavit primam synodus dioecesanam a. 1502.

²¹⁴ Ioannes e ducibus Lithuaniae († 1538), filius naturalis regis Sigismundi I, epus Vilnensis a 23 IX 1519 (ab a. 1535 Posnaniensis).

tutiones, rationi consonas etc. [repetit textum petitionis, iisdem verbis ac in prima parte documenti, usque ad "fulciantur"], eadem auctoritate apostolica nobis commissa et qua fungimur in hac parte, in omnibus punctis, clausulis et continentii, de spirituali dono gratiae approbamus, ratificamus et confirmamus, decernentes praedicta omnia et singula ac eorum quodlibet robur perpetuum obtinere. Mandantes universis et singulis, tam ecclesiasticis quam saecularibus personis, quocunque nomine censeantur, quatenus praemissa omnia et singula et in eis contenta inviolabiliter observent et, in quantum Sedem Apostolicam venerantur, faciant ab aliis observari. Quocirca, ut eo magis in praedictis imposterum contra quoscunque molestatores opportunae defensionis adminiculo muniamini, Rev. dis in Christo patribus Cracoviensi et Luceoriensi Episcopis, vel alteri ipsorum, eadem auctoritate apostolica nobis commissa, committimus et mandamus, ut in praemissis vos vestrumque Capitulum conservent, defendant ac tueantur, contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia compescendo.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae Ss. mus Dominus noster in facultatibus nobis concessis voluit non obstar, caeterisque contrariis quibuscumque. In quorum fidem praesentes nostras litteras per secretarium nostrum fieri nostrique sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum Vilnae, sub anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo, die penultimo mensis Novembris, Pontificatus praefati Ss. mi Domini Nostri Leonis papae decimi anno octavo.

(a-Zacharias Epus Gardiensis, Ss.mi Domini nostri Papae
cum potestate Legati de latere et maioris
paenitentiarii Nuncius et orator qui supra
manu propria^{a)})

a-a) *Autographum.*

N. 32.

**Leo X, pontifex maximus
Sigismundo I, regi Poloniae**

Romae, 26 XII 1520.

Gratum se esse scribit pro nuntiis suis benevole receptis (quod a Ioanne de Tedaldis Romam reverso ipsi relatum est), dolere tamen de bello Pruthenico in dies recrudescente. Etsi sciat illud eo invito coeptum esse et Albertum multa scelerata perpetrasse, se tamen petere, ut ab ingressu in terras magistri abstineat, quem serio suis litteris monere se dicit, ut paci condendae studeat.

Breve ad Regiam Maiestatem Poloniae

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius Ioannes Theodaldus, civis Florentinus, quem et venerabilem fratrem Zachariam, epum Gardensem, nuntios nostros alias ad Maiestatem tuam destinavimus, nuper ad nos reversus nobis retulit, quo amore et quanta humanitate regia Maiestas tua eos venientes exceperit ac semper tractaverit, ipsumque inde recessurum benigne ac liberaliter [63v] dimiserit. Quod ut nobis gratum et acceptum fuit, ita valde et supra modum displicuit ab eodem Ioanne intelligere bellum inter te et dilectum filium Albertum, ex marchionibus Brandenburgensibus, hospitalis domus Beatae Mariae in Prussia magnum magistrum, quod pluribus litteris ac monitionibus per dictos et alios nuntios nostros, utrique vestrum nostro nomine factis, extinctum vel saltem sedatum ac sopitum esse credebamus, adeo recrudescere coepisse, ut inde populorum strages et devastations ac innumera scandala, qualia pluribus ab hinc annis acciderunt, magnopere timenda sunt ac formidanda.

Et licet nobis persuadeamus Maiestatem [tuam] ad huiusmodi bellum, ex quo nulla quidem laus vel utilitas sperari, ignominia vero et ingens damnum^{a)} formidari debet, in gratis trahi invitoque animo a bellis illis contra infideles et scismaticos, ex quibus maximam et immortalem gloriam sibi comparavit, distrahi atque divelli²¹⁵, non possumus tamen solitam eius mansuetudinem ac bonitatem non desiderare, erga eum praesertim, quem filii loco habere et cuius iuveniles impetus patientia quadam potius et consilii matritate delinire deberet, quam vi frangere ac non sine magna rerum prope omnium confusione destruere. Quamquam si vera sunt, quae nobis nuntiantur, et quae vix credere possumus, ipsum videlicet Albertum, non suos tantum, sed complures alios Germaniae populos pro se et contra Maiestatem tuam convocasse ac tantum comparasse exercitum, ut illi vix resistere possis²¹⁶; quin regni tui civitates et loca Tartaris ac Moscovitis aliisque [64r] infidelibus et scismaticis confinia, solitis ac necessariis praesidiis quasi denudare cogaris, Maiestas ipsa tua nonnullam irascendi ac vim repellendi causam habet, et propterea ipsum Albertum per alias nostras ad pacem et concordiam cum Maiestate tua ineundam serio monemus²¹⁷.

Praeterea ad char.mum in Christo filium nostrum Carolum, Romanorum ac Hispaniarum regem Catholicum, in imperatorem electum, scribimus, eum hortantes, ut pro concordia inter vos componenda laborare, eamque per ora-

²¹⁵ Omnia, quae hic scribit pontifex, videntur esse responsiva ad litteras regias, 23 IX 1520 Torunia datas (reg. Warszawa, AGAD, Lib.Legat. 5 f. 134r-135r), "quibus conquerebatur de magistro", lectas in consistorio 5 XII 1520 (cfr. Korzeniowski AR, p. 82).

²¹⁶ Cfr. supra, notam 193.

²¹⁷ Cfr. infra, N. 33.

tores suos procurare velit²¹⁸. Ac etiam dicto Zachariae, episcopo et nuntio, committimus, ut pro eadem pace componenda nostro nomine operari atque omnia efficere debeat²¹⁹. Speramus omnipotentem Deum sua clementia permissurum fore, ut pia desideria nostra, non alio quam ad publicam totius christianitatis pacem et quietem eiusque sanctae fidei conservationem et exaltationem tendentia, faelicem sorciantur eventum.

Quod autem ad Maiestatem tuam attinet, te, Fili noster carissime, horramur ac per viscera misericordiae Dei nostri rogamus, ut si ulla unquam in re prudentiam, aequitatem ac mansuetudinem, tibi a natura insitas, ostendisti, nunc illis erga nepotem tuum uti velis ac satis habens regnum tuum defendere ac tutari, nolis ulterius progredi ac eiusdem Alberti fines ingredi temperes ac abstineas, non ignarus potiorem ac magis regiam virtutem esse iniurias oblivisci, quam eas ulcisci velle, ac ex omnibus victoriis nullam maiorem esse, quam se ipsum vincere. Tua igitur Maiestas ita se geret, ut quemadmodum omnes singularem eius virtutem et praeclara gesta iure ac merito praedicant, mirisque praconiis et laudibus in coelum tollunt, [64v] ita etiam eiusdem pietatem et continentiam atque animi moderationem dignis ac veris laudibus prosequantur. Quod si Maiestas tua, ut speramus, fecerit, magno caeteris principibus exemplo erit (qua ipsi etiam temperantia ac modestia^{b)} uti debeant) et coram Christo, Redemptore nostro, qui in ligno Crucis pendens Patrem Deum pro crucifigentibus^{c)} rogavit, non parvum meritum sibi acquiret. Nobis insuper, qui eam tamquam peculiarem filium nostrum in visceribus charitatis semper gessimus, rem gratam et nunquam obliviscendam faciet. Datum Roma[e] apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI Decembris, [anno Domini] MDXX^{d)}, pontificatus nostri anno octavo.

a) Repetitum.

b) Sequitur repetitum: etiam

c) Sequitur: cum

d) In ms. erronee: MDXXI

N. 33.

**Leo X, pontifex maximus
Alberto, Ordinis Theutonicorum magno magistro**

Romae, 26 XII 1520.

In memoriam ei revocat, quid ipse usque nunc egit in pacandis christianis principibus, et praesertim eum ipsum cum rege Poloniae conciliando. Cum re-

²¹⁸ Breve, 26 XII 1520 datum, editum est a Działyński AT V, p. 348-350.

²¹⁹ Cfr. supra, N. 29.

cens ex Ioanne de Tedaldis, ex Polonia reverso, intellexisset bellum inter eos minime sopiri, sed adhuc magis recrudescere coepisse, ideo nuntiat se Zachariae Ferreri commisisse, ut antiquum tractatum pacis confirmet et insuper Carolo imperatori scripsisse, ut operam suam interponat, quo tandem pax ista restituatur; ipsi vero in virtute sanctae oboedientiae mandat, ut regem Poloniae molestiis non afficiat et ad conditiones a mediatoribus propositas acquiescat.

Or. membraneum: Berlin, GStAPK, XX, StA Königsberg, Schiebl. 16, n. 11.

- **Cop. XIX saec.:** Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 24447a f. 1r-3v. In capite textus annotatio alia manu: "Abschrift. Der Original befindet sich im Königl. Archiv zu Berlin unter № 465, C. № 6", et subtus alia adhuc manu posteriori: "Heute L. 465.5. Seit 1865 im Kö. Archiv 16. CL 17a". - Versio Germanica eiusdem copiae in GStAPK, XX, OBA, n. 24678.

Cop. saec. XVI.: Kórnik BPAN, ms. 223, p. 31-34 (cum aliquibus omissionibus).

- **Ed.:** Działyński AT V, p. 350-352.

Leo Papa X

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cum ex ea die, qua ad summi apostolatus apicem divina favente clementia assumpti fuimus²²⁰, memores verbi Illius, cuius vices in terris gerimus, et qui ascensurus ad Patrem discipulis suis dixit: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis²²¹, nihil maiore studio, cura et diligentia nobis proposuisseamus, quam, sublatis omnibus Principum, Regum et Potentatuum christianorum discordiis, simultatibus ac bellis, quae usque dum in minoribus eramus, non modo Italiam, sed alia fere omnia christifidelium Regna diu maximeque vexaverant, et tempore assumptionis nostrae adhuc vigebant²²², concordiam, unionem ac pacem inter eosdem Reges, Principes et Potentatus procurare ac, dextera Domini propicia nobis assistente, bella ipsa, si non perpetua pace in totum extinguere, quinquennalibus saltem induciis suspendere obtinuissemus²²³, gravi molestoque animo tulimus inducias ipsas a te et charissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae Rege Illustri, primum violari cepisse a quibus [1v] id minime timendum videbatur, tum quia strictissimo necessitudinis vinculo inter vos coniuncti estis²²⁴, tum maxime quoniam dictus Ser.mus Rex bellis adversus Tartaros et Moscovitas, aliasque infideles et scismaticos iampridem assuevit, indeque gloriosas victorias et op[t]imos tri-

220 Leo X electus est ad summum pontificatum 11 III 1513.

221 Ioan. 14, 27.

222 Cfr. supra, N. 15, annotationem 128.

223 Bulla, qua omnes belligerantes ad illas indutias ineundas invitabat, data est 18 III 1518, cfr. supra, N. 21.

224 Albertus fuit regis Sigismundi ex sorore nepos, cfr. N. 15, annotationem 143.

umphos reportare didicit, Tu vero ac universus ordo tuus religionis ipsius vestrae instituto eorundem infidelium ac scismaticorum adversus christianos impetum reprimere ac prohibere tenemini.

Pro quibus inter vos discordiis ac bellis sedandis et extinguendis quantum semper laboraverimus, non solum plures litteras nostras, sed proprios et nuntios, non sine gravibus incommodis et expensis, ad longinguas partes istas destinando, ipsum Deum, cui nota sunt omnia, testem habemus, possetque inclytae memoriae Maximilianus in Imperatorem electus, si adhuc in humanis ageret²²⁵, nobis testimonium perhibere, qua paterna charitate, cum saepe alias, tum maxime quando ad dietam illam, quae inter ipsum et eundem S[erenissimum] aliosque Reges et Principes indicta fuerat, se accingebret, proprio nuntio ad eum destinato²²⁶, hortati fuerimus ac etiam rogaverimus, ut ante omnia inter eos tractanda et concludenda negotia sanctum et necessarium pacis et unionis inter te et dictum Ser.mum Regem opus primum concluderetur; ac postea, ut neuter vestrum ignorat, vos crebrioribus litteris et Nuntiis ad pacem huiusmodi pro publico christifidelium omnium ac privato vestro et subditorum vestrorum bono amplectendam hortari, monere attenteque requirere nunquam destitimus, non ignari quanta universo christiano orbi tempestas imminaret, nisi opportuno pacis inter vos remedio provideatur.

Sperantes autem vos, tanquam nostros et obedientiae filios, salutaribus consiliis ac paternis monitionibus nostris obtemperare paratos esse, nec recusare, quominus differentiae et controversiae omnes vestrae per Ven. fratrem Zacchariam, Eum Gardensem, ob hanc potissimum causam Nuntium nostrum a nobis istuc destinatum, diligenti examine ac processu desuper factis, intellectae et ad nos transmissae, per nos et ven. fratres nostros S.R.E. Cardinales, matura deliberatione praehabita, via iuris vel amicabilis concordiae deciderentur ac fine debito terminarentur, Nobisque persuadentes vos ab huiusmodi bellis cessaturos fore, nuper ex dilecto filio Ioanne Theodaldo, cive Florentino, quem una cum dicto Za[charia] Epo Nuntium etiam nostrum destinaveramus, ad nos reverso, intelleximus bella inter vos adeo recrudescre cepisse ac tantos utrinque apparatus fieri, ut inde maximum ac universae christianitati pernitiosum timeatur incendium, ipsumque S[er.mum] Regem, qui nunquam suis omnibus viribus contra te et ordinem tuum uti voluit, ac proprios fines a tuis incursionibus defendere ac tutelari, quam fines tuos depopulari maluit, tum quia suus ex sorore germanus nepos existis²²⁷, tum maxime ob reverentiam beatae Virginis, sub cuius invocatione militia tua instituta fuit, nunc demum ut immodicis tuis conatibus resistat, vi cogi atque

²²⁵ Maximilianus I Habsburg extreum diem obiit 12 I 1519.

²²⁶ Ut videtur, Congressum Vindobonensem Maximiliani, Sigismundi et Vladislai, Hungariae et Bohemiae regis, in mente habet, a. 1515 celebratum.

²²⁷ Cfr. supra, N. 15, notam 143.

compelli novum exercitum conscribere et impensas, quas contra eosdem infideles et scismaticos paraverat, contra exercitum tuum facere.

Quae res quam graviter nos commoverit et quo acerbo vulnere cor nostrum sauciaverit, vix cogitari nendum scribi enarrarie posset. Nec satis intelligere possumus, quis vester animus, quae mens, quodve consilium sit, eas contentiones ac discordias adeo pertinaciter fovere ac persequi, quarum infelices ac utrius partium miserabiles exitus utique formidaretis, si plurimarum calamitatum, quae aliquot abhinc annis propter bella, tam inter vos quam praedecessores vestros gesta, contigerunt^{a)}, memores esse velletis. Quod nisi divina clementia nuper factum fuisset, ut Selinus, Turcarum Tyrannus, qui cum Tartaris ea tantum causa, ut vos destrueret, foedus inierat, e medio tolleretur, nemini dubium, quin vestris dissensionibus magis quam suis viribus fretus atque confisus, vos aggressurus ac utriusque statum bello sibi vindicaturus fuisset.

Nos igitur, praeteritorum memores et quae accidere possent considerantes, quaelibet necessaria et oportuna remedia ita cogitare et providere statuimus, ut gregis nobis commissib^{b)} curam neglexisse minime videamur. Et propterea cogitavimus, ultra commissionem eidem Zacchariae Episcopo et Nuntio nuper datam, etiam ad char. mum in Christo filium nostrum Carolum, Romanorum ac Hispaniarum Regem Catholicum, in Imperatorem electum²²⁸, scribere, ut quoniam Sanctae Romanae Ecclesiae Advocatus et utriusque vestrum necessitudinis vinculo coniunctus existit, et causa ista non solum universae Christianitatis communis est, sed eius quoque Imperii statum tangit, officii sui debito fungens ac publicae simul et privatae utilitati consulens, litteris ac oratoribus suis utrunque vestrum ad perpetuam pacem et concordiam ineundam, eamque firmiter servandam hortetur et moneat ac pios et sanctos conatus vestros adiuvet, talesque pacis conditiones vobis proponere studeat, ut illas neuter vestrum valeat recusare; quod ipsum pro viribus facturum fore non dubitamus.

Quae remedia nostris coniuncta, si, ut speramus et optamus, valida et efficacia erunt, omnipotenti Deo, bonorum omnium auctori, gratias agemus; sin vero minus, censorum severitate uti tandem cogemur. Ad quas ne deve niamus, Te, dilecte fili, hortamur et in virtute sanctae obedientiae, quam nobis et huic sanctae Sedi praestare teneris, requirimus, ut in huiusmodi concordiae negotio cum praefato Rege tractando ita te geras, ut omnes intelligent per te non stetisse, quominus concordia ipsa, quam tibi paterna charitate persuademus, contemplatione nostra concludatur, Teque eundem Sigismundum Regem, avunculum tuum, in verum patrem habere ac iniurias omnes perpetuae oblivioni mandasse. Quod si ex parte tua, ut speramus, feceris, magnum apud omnipotentem Deum meritum, nec minorem apud homines gloriam consequeris, ac talem insuper a nobis ipsis gratiam inibis, quod te paternis monitionibus nostris paruisse nunquam paenitebit.

²²⁸ Carolus V Habsburg.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI Decembris M.D.XX^{c)}, Pontificatus nostri anno octavo.

Bembus^{d)229}

a) *Ita in ms, Cornicensi, in or.: congerunt*

b) *Adscriptum in margine.*

c) *In or. erronee: M.D.XXI, nisi ciphera I ad- scripta fuerit poste; in copia Cornicensi*

recte: MDXX; in copia Berolinensi: MDXXI et subtus in parenthesi: 1520

d) *Manu ipsius Bembi.*

N. 34.

**Leo X, pontifex maximus
Zachariae Ferreri**

Romae, 30 XII 1520.

Mittit ei exemplar brevis ad Carolum imperatorem, quo illi causam pacis componendae inter regem Poloniae et magnum magistrum ordinis Theutonicorum commendat. Ipsi etiam omnia quae facere in hac re poterit committuntur.

Cop. coaeva: Warszawa, AGAD, Metr.Kor. 37 f. 63r.

Litterae Beatissimi Papae.

Venerabilis frater, salutem. Fraternitatem tuam latere non debet, quantopere nobis displiceant dissensiones et bella inter char.mum in Christo filium nostrum Ser.mum Regem Poloniae Illustrem et Magnum Prussiae Magistrum existentes, pro quibus sedandis et componendis omnem operam et diligentiam adhibere intendimus. Et propterea non solum ad Sigismundum Regem et Magistrum praedictos, sed etiam ad char.mum in Christo filium nostrum Carolum, Romanorum ac Hispaniarum Regem Catholicum, Imperatorem electum, efficaciter scribimus, prout ex ipsarum litterarum copia, praesentibus introclusa, eadem Fraternitas tua videre poterit²³⁰. Cui per praesentes committimus et mandamus, ut pro pace inter eosdem Regem et Magistrum componenda nostram auctoritatem interponere ac omnia efficere

²²⁹ Petrus Bembo (1470-1547), celeber litterarum cultor, a. 1513-1521 secretarius Leonis X, ab a. 1538 SRE cardinalis.

²³⁰ Copia huius brevis invenitur registrata in AGAD, Metr.Kor. 37 f. 63r.

procuret, quae paci huiusmodi viderit expedire, atque ita se gerat in praemissis, ut eius opera et diligentia in conspectu nostro valeat commendari. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die penultima Decembris Anno Domini Millesimo quingentesimo vigesimo, Pontificatus nostri anno octavo.

N. 35.

Zacharias Ferreri
Marco Piotrowicz, macellario Vilnensi

Vilnae, 25 I 1521.

Vigore facultatum legati a latere confirmat testamentum mercatoris Vilnensis Marci Piotrowicz, qui legat unam partem annui census macelli sui civitati Vilnensi, alteram fraternitati ecclesiae S. Ioannis Vilnae, tertiam pro missa celebranda pro anima sua et suorum, quartam vero pauperibus distribuendam. Constituit conservatores huius confirmationis praepositum et decanum capituli Vilnensis, pro tempore existentes.

Or.: Vilnius, LMA, Centr.Bibl., F. 6 n. 116. Subtus nota eadem manu facta: "Taxatum ad in[...]. Visa". Vestigia sigilli impressi. Membrana in margine inferiore lacerata et deinde consuta.

Zacharias, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Gardiensis etc. [ut in N. 31] universis et singulis, praesentes literas inspecturis, salutem.

Nobis ex parte dilecti nobis in Christo Marci Pyothrowicz, Civis et Mercatoris Vilnensis, expostulatum fuit, quod ipse nuper, sanus mente et corpore et compos suae rationis, cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici comercio commutare, in eius ultima voluntate, de bonis suis sibi a Deo collatis condens testamentum, legavit censem annum ex quodam macello mercimoniiali singulis annis proveniente in hunc sequentem modum, videlicet unam partem pro utilitate rei publicae Civitatis Vilnensis, alteram pro fraternitate Sancti Ioannis, tertiam partem pro celebranda una missa pro anima sua et praedecessorum suorum, quartam vero et ultimam partem pauperi[b]us distribuendam.

Cum alias, prout latius in eodem testamento super hoc confecto continetur, ad quod relatio habeatur et quod hic haberi voluimus pro expresso, cunctaque dictus Marcus praedictum testamentum per nos auctoritate apostolica nobis commissa et qua fungimur, in hac parte confirmari, Nobis humili-

ter supplicari fecit, quatenus de opportuno confirmationis remedio provideri dignaremur, Nos igitur, suis in hac parte supplicationibus inclinati, praefatum testamentum, in quantum est rite et legitime factum ac rationi consonum, illud eadem auctoritate apostolica, cum punctis et clausulis in eo contentis, approbamus, ratificamus et confirmamus, decernentes testamentum praedictum et omnia in eo contenta robur firmum obtinere.

Quocirca dilectis nobis in Christo Praeposito et Decano Ecclesiae Vilnensis, pro tempore existentibus, vel eorum alteri, harum serie committimus et mandamus, quatenus ab uxore, liberis, consanguineis et aliis proximioribus quibuscumque necnon ab exequitoribus, in dicto testamento nominatis et expressis, pro tempore existentibus, sub penis et censuris ecclesiasticis ac centum ducatorum auri camerae apostolicae, applicandorum cuilibet contravenienti, testamentum praedictum illiusque exequutionem et omnia in eo contenta inviolabiliter observari faciant, contradictores et rebelles ac contravenientes quoscumque per dictas censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia compescendo. Non obstantibus etc. [ut in N. 31]. In quorum fidem praesentes litteras per secretarium nostrum fieri nostrique sigilli iussimus et fecimus impressione communiri. Datum Vilnae, sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, die vigesimo quinto mensis Ianuarii, pontificatus praefati Ss.mi Domini nostri Leonis papae decimi anno octavo.

Jedepaulo [sic]^{a)}

a) *Alia manu.*

N. 36.

**Zacharias Ferreri
Fraternitati Misericordiae Vilnensi**

Vilnae, 25 I 1521.

Martino (a Duszniki), artium ac medicinae doctore et canonico Vilnensi, supplicante, concedit indulgentiam 10 annorum et totidem quadragenarum omnibus, qui, fraternitatis misericordiae in oraculo extra muros, ab ipso Martino condendo sodales, manus adiutrices porriganter pro sepeliendis pauperibus mortuis, qui... per civitatem Vilnensem moriuntur.

Or.: Vilnius, LMA, Centr.Bibl., F. 3 (Pergamentiniu raštu rinknys), n. 89. Vestigia sigilli impressi. Membrana in aliquibus locis lacerata.

N. 37.

Zachariae Ferreri

decretum pro ritu catholico in Lithuania servando

Vilnae, 2 II 1521.

Mandat omnibus, sub paenis ecclesiasticis, ut scripta Martini Lutheri et aliorum haereticorum, si quae habeant, intra 12 dies ad se vel ad locorum ordinarios afferent, et ut nemo audeat ea in Lithuania inferre, ibi vendere, emere et detinere; episcopi autem tenentur talia scripta statim comburere, aliaque omnia scripta venalia censurae supponere, fidelesque monere, ut cum haereticis et schismaticis familiaritatem vitent, nisi forte spes aliqua exsistat eorum conversionis. Excommunicationem comminatur iis, qui poenit ecclesiasticis imminentibus, se ad schismaticos convertere minantur. Ordinariis locorum mandat, ut curent, ne schismatici novas ecclesias in Lithuania aedificant, neve catholici cum Iudaeis simul habitent; ut pracepta fidei et sacramenta melius populo inculcentur et administrentur, cuius gratia in locis ab ecclesiis parochialibus distantibus capellae et capellani instituantur. Sacerdotibus commendat puritatem morum, librorum de fide et liturgia studium, Verbi Dei assiduam praedicationem et ne genitoribus permittant una cum liberis recens natis dormire, ne suffocentur. Suquuntur ultimae exhortationes generales et tempus 12 dierum ad exequendum hoc decretum stabilitur.

Ed: Ferreri OT, f. B IIIr- [B VIIr].

Decretum eiusdem rev.mi legati apostolici pro ritu christiano
per magnum ducatum Lituaniae et terras eidem subiectas et annexas
servando et ampliando

Zacharias, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Gardiensis etc. [*ut in N. 31*] universis et singulis, tam ecclesiasticis, quam saecularibus per magnum ducatum Lituaniae constitutis, ad quos praesentes pervenerint, salutem in domino sempiternam et nostris huiusmodi (immo verius apostolicis) firmiter obedire mandatis.

Capite nobis (inquit sapientia divina in canticis) vulpes parvulas, quae demolunt vineas²³¹. Quum autem per vineas nil aliud quam congregations fidelium et catholicorum christicolarum ecclesiae intelligentur, quae fructus ex se gignunt honoris et honestatis, quid per vulpes parvulas accipimus, nisi principia haereticarum astutiarum et irrepentis schismatis et abusus

²³¹ Cant. 2,15.

exordia, quae Christi ecclesias, ubilibet constitutas, nisi citius intercipiantur, paulatim destruunt et evertunt? Quare, quum in hanc longinguam regio-
nem, quae finibus Europae et infidelium limitibus adiacet, ad eidem spiri-
tualia beneficia impartienda a Ss.mo Domino N.ro papa, Domini nostri Iesu
Christi vero in terra vicario, destinati simus, ad nostramque notitiam perve-
nerit (proh dolor) fratris Martini Luteri et aliorum diversorum authorum
scripta erronea et a catholica religione ac sanctae Romanae ecclesiae, orbis
magistrae, sanctorumque orthodoxorum patrum saluberrimis decretis extra-
nea, in huius magni ducatus Lituaniae civitates, oppida et terras deferri, le-
gi, haberi, teneri et in grave animarum dispendium et scandalum populorum
defendi, diversasque corruptelas et [B IIIv] abusiones in moribus, tam cleri-
corum, quam laicorum, quae christianaे adversantur pietati, inolescere, ex
quibus fidei et religionis plantatio, quae hic novella et adhuc tenella existit,
devastari facile posset, Nos, ut officio nostro, prout tenemur, satisfaciamus,
nec tam longum iter frustra insumpsisse, totque labores, tot pericula, tot di-
scrimina in cassum nos subiisse contingat (quum et sanguinem ipsum spar-
gere, et vitam ipsam ac animam effundere pro christianaе fidei syncaeritate
[sic] teneamur), ne maiores vires assumat et in deterius vergat, autoritate
apostolica nobis commissa et qua fungimur occurrere in domino volentes,
omnes et singulas, tam ecclesiasticas quam saeculares personas, cuiuscum-
que status, gradus et conditionis existant, in domino exhortamur et per pre-
ciosissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi effusionem requirimus et
monemus, et nihilominus ^ain virtute sanctae obedientiae et sub excommu-
nicationis latae sententiae ac perpetuae infamiae privationisque omnium et
singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, quae tunc obtinebunt, si ecclesias-
tici fuerint, et perpetuae inhabilitatis ad illa et alia obtainenda, aliisque iu-
ridicis poenis et censuris (si non paruerint), eo ipso incurrendis, eadem au-
toritate apostolica nobis commissa eisdem praecipimus et mandamus, qua-
tenus infra XII dies a die habitae notitiae huius nostri decreti, quorum quat-
tuor pro primo, quattuor pro secundo et quattuor pro tertio, ultimo et perem-
ptorio termino, eisdem assignamus et praefigimus, omnia et singula eius-
dem fratris Martini Luteri, ab ecclesia damnati²³², aliorumque quorumcun-
que a catholicis sanctae ecclesiae dogmatibus aberrantium, vel de erroribus
aliquibus suspectorum, libellos, scripta et volumina, tam latino sermone
quam quocunque idiomate formata et notata, coram nobis vel locorum or-
dinariis afferre et in nostris vel eorum manibus statuere debeant et teneantur,
nec de caetero tales libellos, scripta et volumina in eundem magnum du-
catum vel eius terras, civitates et oppida ferre, vendere, emere, habere, tene-
re, eis uti, [B IVr] seu directe vel indirecte, quovis quae sit colore ea tueri aut
defendere imposterum praesumant, sed defendantes statim eisdem locorum
ordinariis (saltem secreto) deferantur et denuncientur. Ipsi autem locorum

²³² Vigore bullarum: "Exurge Domine", 16 VI 1520 datae, et "Decet Romanum Pontificem", 3 I 1521 promulgatae; cfr. *Bullarium Romanum* V, p. 748-757.

ordinarii libellos, scripta et volumina huiusmodi mox igni tradi et concremari faciant^{a)}, ut deleantur de libro et memoria viventium, et cum iustis non scribantur²³³, et iuxta Esaiam: sint veluti favilla stupuae et tanquam scintilla succendantur²³⁴.

Et ut deinceps omnis de hoc magno ducatu errandi moveatur occasio, sub eisdem poenis praecipimus et mandamus, ut nullus bibliopola, seu quaecunque alia persona cuiuscunque status, gradus et conditionis existat, libros, scripta et volumina aliqua, cuiuscunque facultatis fuerint, in eundem magnum ducatum venalia ferre aut vendere praesumat, nisi omnium ipsorum librorum et voluminum titulos et nomina et cognomina, in scheda descripta, eisdem locorum ordinariis prius obtulerit. Super quo eosdem ordinarios per omnipotentem Dominum enixe rogamus et exhortamur, et eisdem etiam in virtute sanctae obedientiae, auctoritate apostolica nobis commissa, praecipimus et mandamus, quatenus, uti veri pastores, cum omni sedulitate invigilent, ne in eorum gregem aliqua huiusmodi imposterum contagia inducantur.

Quod tanto studiosius est cavendum, quanto et isdem magnus ducatus Lituaniae non solum ab infidelibus et schismaticis circumquaque cingitur et vallatur, sed et eos domesticos et intestinos ubilibet habet inimicos, et tanto periculosiores, quanto et familiariores. Quapropter ad omnem deinceps amovendum et evitandum errorem, et ad catholicae fidei synceritatem intemerata illibatamque servandam, eosdem locorum ordinarios et parochialium ecclesiarum rectores, seu eorum vicem gerentes, per eundem magnum ducatum Lituaniae ubilibet constitutos, exhortamur in domino et obsecramus, ut plebem sibi commissam assiduis moneant et instruant documentis, ut cum eisdem schismaticis minorem quam [B IVv] possint conversationem et familiaritatem habeant. Quoniam, iuxta apostolum, nulla est conventio Christi ad Belial, aut pars fideli cum infideli²³⁵.

Propter quod separamini ab eis, dicit dominus, et immundum ne tetigeritis²³⁶, nisi forte de eis in vera et catholica religione instruendis et ad eam alliciendis operam darent, quoniam et dominus et praceptor noster, Iesus Christus, dixit: Non est opus sanis medico, sed male habentibus²³⁷, propter quod et cum publicanis et meretricibus aliquando conversabatur, charitas enim, et si per ignem transiverit, flamma non nocebit ei²³⁸, et si picem tetigerit, non inquinabitur ab ea²³⁹. Nam, sicut scriptum est, melior est iniquitas viri quam mulier bene faciens²⁴⁰. Et sicut eos, qui in sua perfidia perseverant, cautius evitare debemus, sic illis, qui detracto a cordibus velamine,

²³³ Ps. 68, 29.

²³⁴ Is. 1, 31.

²³⁵ 2 Cor. 6, 15.

²³⁶ 2 Cor. 6, 17.

²³⁷ Marc. 2, 17.

²³⁸ Is. 43, 2.

²³⁹ Eccl. 13, 1.

²⁴⁰ Eccl. 42, 14.

viam veritatis agnoscunt, eamque amplecti constituunt, si ad unitatem catholicam suscipi optaverint, tanto iucundius complecti et in charitatis visceribus eos stringere ac propriis humeris imponere tenemur, quanto gaudium est maius angelis Dei super peccatore paenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis²⁴¹. Eos igitur gaudentes suspicere et, postquam suscepti fuerint, omni humanitate et dilectione prosequi oportet: Quoniam hic frater noster mortuus erat et revixit, perierat et inventus est²⁴².

In eis autem suscipiendis et schismate abiurando modus ille servetur (sicut saepius commentati sumus), qui a sacrosancto Florentino Concilio et deinde a beatae memoriae Alexandro VI, pontifice maximo, traditus est, cuius et exempla reliquimus²⁴³. Rogamus etiam, ut sicuti in commertiis eorum, qui in sua perfida obstinatione persistunt, abstinendum est, ita et ab eorum schismaticis ecclesiis, et potius conventiculis, abstineatur (quando praesertim sacrificare arbitrantur), quoniam hoc est certo certius (sicuti noscere et probare voluimus) ipsorum assertos sacerdotes neque ordinem aliquem suscipere, neque characterem habere, neque sacrum confidere, neque vere sacrificare; nam neque est patriarcha ille, neque metropolita, seu archipraesul, neque praesul, a quo ordines se suscepisse et in dies suscipere asserunt; neque forma etiam essentiali illum [B Vr] sacrificandi aut sacrum conficiendi ritum tenent, quem veri olim Graeci (quos se imitari astruunt) observarunt et observant; praeter alios plurimos, quibus obligantur errores, pro quibus, ut aliquando videant, omnipotens author tanto ardenter orandus est, quanto maiori caecitatis caligine eorum oculi detinentur occlusi.

Et quoniam sunt nonnulli, qui dum a locorum ordinariis, sive aliis ad quos spectat, culpa exigente, censuris innodantur, in sacrilega verba prorumptentes, se ad schismaticorum sectam transfugas futuros comminantur, iccirco, ut huius criminis facilitas de caetero removeatur, statuimus, decernimus et ordinamus, ut quicunque deinceps talia verba studiose in fidelium christianorum scandalum protulerit, sententiam excommunicationis, a qua non nisi a ss.mo D.no N.ro papa, vel ab eo potestatem habente (praeterquam in mortis articulo) absolvi possit, eo ipso incurrat. Et, si convictus fuerit, tam diu in ecclesiis cum debitis ceremoniis excommunicatus denuncietur, atque arctius ab omnibus evitetur, quoisque, praevia satisfactione, absolutionis beneficium meruerit obtinere. Rogamus autem ipsos dominos temporales per Iesum Christum Dominum nostrum, ac eorum vices gerentes, locorumque rectores et consules, ut brachio suo saeculari contra hoc scelus atque

²⁴¹ Paraphrasis Luc. 15, 4-7.

²⁴² Luc. 15, 24.

²⁴³ Hic Ferrerius evidenter se refert ad breve Alexandri VI (1492-1503), Alberto Tabor, epo Vilnensi, 26 IV 1501 datum, in quo pontifex copiam dicti decreti Concilii Florentini transmittere se dicit et modum praescribit, qui in Ruthenis ad unitatem cum Ecclesia Romana admittendis observari debet (cfr. Wojtyska BRP I, p. 90-93). Cum tamen hoc breve tunc nondum fuerit impressum, ergo Ferrerium eius exemplum (ab Erasmo Ciołek habitum?) Roma portasse facile coniici potest.

blasphemiam remedium ita adhibeant opportunum, ut huiusmodi homines a talibus arceantur sceleribus.

Insuper etiam, quoniam non tantum contra catholicam unitatem et sa-
crorum canonum traditiones, sed etiam contra et serenissimorum regum Po-
loniae et magnorum ducum Lituaniae religiosa decreta, in eodem magno du-
catu Lituaniae variae quotidie ex muro et lapidibus, sive lateribus, schismati-
corum construuntur ecclesiae, seu conventiculae²⁴⁴, multique promiscui se-
xus ex christianis (quod abominabile omnino est), contra patrum decreta,
cum Iudaeis habitant et eisdem etiam serviliter famulantur²⁴⁵, Nos, cupien-
tes huiusmodi malis, quantum nobis a Deo conceditur, obviare, ne erroribus
huiusmodi fomentum administretur pariter et augmentum, ac filii liberae,
qua libertate Christus nos donavit, ancillae filiis obsequantur²⁴⁶, omnes et
singulos [B Vv] itidem locorum ordinarios, per magnum ducatum Lituaniae
praefatum ubilibet constitutos, in domino exhortamur, eisque in virtute san-
ctae obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus per se et suos officia-
les, rectoresque parochialium ecclesiarum talem contra malum hoc sui offi-
cii sedulitatem exerceant, ut canonicae sanctiones serventur et ipsi, uti boni
pastores, apud omnipotentem dominum de iniunctae solicitudinis merito
aeternae vitae praemia consequantur.

Nec duximus omittendum (sicuti in synodo nuper apud divi Stanislai
aedem celebrata inter sacrificandum, dum de officio boni pastoris conciona-
remur, recensuimus)²⁴⁷, invigilandum scilicet valde esse pro animarum cura,
tam in monendis et instruendis populis, accuratius quam hactenus factum
est, de fide et divinis praeceptis, necnon de sacramentis diligentius minis-
trandis. Nam sicuti et oculis nostris vidimus, et manibus nostris palpavimus²⁴⁸, ob maximam parochialium ecclesiarum a plebe distantiam et ea-
rum raritatem in tam spatiosa et ampla regione, baptismatis erga infantu-
los, qui in lucem nascuntur, viaticique et extremae unctionis erga infirmos
sacramenta ita negliguntur, ut et infantes sine regenerationis unda, et infir-
mi sine viatico et confessione quandoque decadant. Insudandum ideo est, ut
apud eas plebes, quae decem, quindecim et viginti nonnunquam millibus
passuum a suis distant parochialibus ecclesiis, cura rectorum earundem sa-
cellae construantur, in quibus sacerdos, vicarius seu altarista constituatur,
qui penes se in sacello baptismalem aquam, eucharistiam et oleum infirmo-
rum, pro ingruentibus necessitatibus, nomine plebani seu rectoris sui, dili-

²⁴⁴ Decretum de non aedificandis in Polonia et Lithuania a schismaticis ecclesiis muratis exstat inter Statuta Vielunensia-Calissiensia, a. 1420 ab aepo Nicolao Trąba emanata, vide: *Starodawne prawa polskiego pomnika*, T. 4, ed. Udalricus Heyzmann, Kraków 1875, p. 242.

²⁴⁵ Cfr. ibidem, p. 238-240. Haec lex inserta est etiam inter statuta regis Alexandri, Radomiae 1505 edita, v. *Volumina legum* I, p. 143.

²⁴⁶ Paraphrasis Gen. 21, 10 et Galat. 4, 31.

²⁴⁷ Acta huius synodi non inveniuntur. Hic locus Ferrerii unicum exstat eiusdem celebrationis testimonium, cfr. J. Fijałek, *Pierwszy synod diecezji wileńskiej*, "Kwartalnik Teologiczny Wileński", 1 (1923), fasc. 1, p. 81-88.

²⁴⁸ 1 Ioan. 1, 1.

genter teneat et custodiat, et illa, quum opus fuerit, studiosissime administret.

Sic autem omnes sacerdotes et levitae, caeterique omnes divino cultui mancipati, in moribus se gerant erga plebem, ut tanquam in speculum mundum in eorum vitam omnes prospiciant et spiritualiter aedificantur. Caveant ab dishonestis colloquiis, a suspectis conversationibus mulierum. Quicunque concubinam ex sacerdotibus habere vel suspecta faeminarum commertia [B VIr] frequentare convictus fuerit, secundum canonicas sanctiones et synodales ac provinciales, sacrique potissimum generalis Lateranensis concilii, nuper celebrati, constitutiones²⁴⁹ ita puniatur, ut caeteri metum habeant. Deberet enim sacerdos esse lucerna super candelabrum posita²⁵⁰, quae luce sua populorum tenebras expellat; sicuti enim signum ad sagittam positi, in se omnium trahunt aciem oculorum²⁵¹. Omnis ideo crapula ab eis vitanda est et ebrietas fugienda, quae manifestissima sunt incentiva libidinis et celibatui ac sacerdotali inimica munditia. Quid enim aliud candida sacerdotum praefferunt indumenta, quam puritatem, continentiam, animaeque ac corporis synceritatem, de quibus scribitur: Candidi facti sunt nazaraei eius, splendorem Deo dederunt²⁵². Non in tenebris (ut nonnulli ex eis consueverunt), sed in ecclesiis eorum conversatio esse debet assidua; aequales potus (ut aiunt), qui non tantum clericis, sed et laicis, minime convenient, prorsus evitent, quoniam salvator noster praecepit, ne graventur corda²⁵³ nostra a crapula. Et sic se exhibeant, sicuti Dei ministros, ut recte cum apostolo dicere possint: Christi bonus odor sumus²⁵⁴.

Et quoniam, sicut a multis didicimus, infantes plurimi in hoc magno ducatu Lituaniae, dum cum parentibus (et forte cum aliis) in eodem lecto cubant et dormiunt, suffocantur, mandent locorum ordinarii sub censuris et penis, et rectores ecclesiarum solicitam operam adhibeant, ne usquequo ipsi infantes triennium compleverint in eodem lecto a parentibus vel aliis qui buscumque teneantur²⁵⁵.

Habeant penes se rectores ecclesiarum parochialium approbatorum auctorum sacros codices, quibus de cura animarum et divinis ministeriis per agendis facile instruantur²⁵⁶. Sint solliciti de pabulo verbi dei (in diebus sal-

²⁴⁹ Vide supra memoratam (in nota 74) bullam "Supremae dispositionis arbitrio", a. 1514 editam.

²⁵⁰ Matth. 5, 15.

²⁵¹ Lament. 3, 12.

²⁵² Lament. 4, 7.

²⁵³ Luc. 21, 34.

²⁵⁴ 2 Cor. 2, 15.

²⁵⁵ Haec ordinatio, sat frequens inter decreta synodorum dioecesanorum Poloniae posterioribus temporibus, primum a Ferrerio apud nostros introducta esse videtur. Hausitne eam ex aliqua synodo Italiae? Cfr. Lucius Ferraris, *Prompta bibliotheca canonica, iuridica, moralis, theologica*, T. 5, Venetiis 1782, p. 463.

²⁵⁶ Haec lex adest iam inter statuta synodalia dioecesis Cracoviensis a. 1509, v. Sawicki CPI I, p. 48.

tem festis) populis proponendo, ne de eis dicatur illud propheticum: Parvuli nostri petierunt panem, et non erat qui frangeret eis²⁵⁷.

Et sicut sacerdotes erga plebem debent esse solicii, ita et erga eos, tanquam patres et pastores, debet plebs se subditam et gratam exhibere. Ideo nullus decimis et iuribus consuetis et debitibus ecclesias defrauderet; nullus dominorum sacerdotem uti servum teneat, sed uti dei mini[B VIv]strum veneretur.

Haec omnia, quanquam et sacri canones et sanctorum patrum instituta decernant, et tamen pro nostro officio et pia erga fratres charitate volumus ad omnium, tam sacerdotum quam saecularium, memoriam revocare. Horta-mur ideo omnes et singulos, tam ecclesiasticas quam saeculares personas, ut in saluberrima huius sanctionis observatione ita se exerceant, quatenus in fine vitae, veniente domino, vigilantes servi reperiantur. Vos vero, patres et pontifices servatissimos per Lituanię constitutos, quos speculatores dedit dominus super domum Israel, de quorum manibus impiorum sanguis a domino exquiritur, si eorum non annunciareritis impietatem²⁵⁸, et quibus id totum attribuitur in quo subiecti populi delinquunt, per illum supremum pontificem futurorum bonorum²⁵⁹ et regem nostrum Iesum Christum, per illam pientissimam incarnationem et mortem, quam pro nostra salute assumere dignatus est, in forma servi factus obediens²⁶⁰, rogamus et obsecramus, et nihilominus eadem auctoritate apostolica, nobis commissa, in virtute sanctae obedientiae, vobis ac vestrum cuilibet praecipimus et mandamus, ut novellam hanc segetem, vineam hanc nuper plantatam²⁶¹, in his, quae Christi charitate compellente, pro eius solida conservatione et faelici in domino augmendo statuimus, decrevimus et ordinavimus, vestra pontifica autoritate et pastorali solertia ita ad unguem servari ab omnibus efficiatis (super quo vestram conscientiam oneramus), ut verae et solidae columnae in templo dei sitis²⁶², et quod vestrae solicitudinis nomen sonat, re et opere comprobetis.

Haec sunt, quae in nostro ab hoc magno ducatu recessu in spirituale penes vos charitatis et amoris munus et memoriale relinquimus. Haec sunt, quae vobis in affectus nostri summi pignus et testimonium dimittimus. Erga demum sanctam sedem apostolicam et sanctam romanam ecclesiam obedientiam, observantiam ac venerationem vobis toto corde committimus, a qua quicunque deviavit, repertus est semper errorum caligine obsitus; et quisquis eam uti veritatis magistrum secutus est, a vero lumine nusquam et a recto tramite aberravit.

[B VIIr] Volumus autem, et eadem autoritate decernimus, ut post duodecim dies, a die habitae noticiae immediate sequentes, quorum quattuor

²⁵⁷ Lament. 4, 4.

²⁵⁸ Ezech.3,16-18.

²⁵⁹ Hebr.9, 11.

²⁶⁰ Philip. 2, 8.

²⁶¹ Ierem. 2, 21, 1 Cor. 9, 7 et alii.

²⁶² Apoc. 3, 12.

pro primo, et quattuor pro secundo, et quattuor pro tertio, ultimo et peremptorio termino praefigimus, huius nostri decreti promulgatio omnes statim et singulas supra memoratas personas, quacunque dignitate praefulgeant, in eodem magno ducatu constitutas, perinde arctet, ac si eorum singulis personaliter exhibitum et praesentatum esset.

In quorum omnium et singulorum fidem praesentes litteras per secretarium nostrum fieri, nostrique sigilli iussimus et fecimus appensione communi. Datum Vilnae, in ecclesia divi Bernardini²⁶³, inter nostrarum missarum solennia [sic], Anno ab incarnatione domini Millesimo quingentesimo vigesimo, Quarto nonas Februarias²⁶⁴, pontificatus ss.mi in Christi patris et domini nostri, praefati d.ni Leonis papae decimi, anno octavo.

a-a) *Haec fragmenta sunt libera repetitio paragphorum 4 et 11 bullae "Exurge Domine",* cfr. Bullarium Romanum V, p. 753, 755.

N. 38.

**Zacharias Ferreri
Fratribus Minoribus de Observantia
Conventus Vilnensis**

Vilnae, 3 II 1520.

Vigore facultatum legati de latere, concedit indulgentias 10 annorum et totidem quadragenarum omnibus christifidelibus, qui in ecclesia S. Bernardini Vilnae in festivitatibus dedicationis eiusdem ecclesiae, S. Bonaventurae, S. Annae, S. Iosephi et S. Ioachimi sacra audierint et manus adiutrices pro instaurazione eiusdem ecclesiae porrexerint.

Cop. saec. XVII: Kraków, BCz, ms. Ew. 2469 p. 675-676. Ad finem textus annotatione eiusdem manu facta: "Ista indulgentia non est determinata ad certum numerum annorum, neque est etiam plenaria".

Zacharias, Dei et Apostolicae Sedis gratia etc [ut in N. 31].

Licet His [sic], de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia suae pietatis, quae merita supplicum

²⁶³ Ecclesia fratrum minorum de observantia Vilnae, cfr. infra, N. 38.

²⁶⁴ Decretum hoc videtur esse antedatatum, si consideres ultimam bullam condemnationis Martini Lutheri, qua nuntius hic usus est, emanatam esse die 5 Ianuarii eiusdem anni 1521.

excedit et vota²⁶⁵, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quoad valent promereri, desiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem²⁶⁶, fideles ipsos ad complacendum Eidem et quasi quibusdam allективis muneribus, indulgentiis et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur [676] divinae gratiae acceptiores.

Cum itaque dilecti nobis in Christo Guardianus et Fratres loci S. Bernardini de Vilna, Ordinis Minorum de Regulari Observantia, nobis supplicaverint, quatenus Ecclesiae S. Bernardini praedictae, ut in festivitatibus Dedicationis Ecclesiae Dominica 3 post Pascha²⁶⁷, S. Bonaventurae XIII Iulii, in die S. Annae, Matris gloriosae Virginis Mariae, ad capellam eiusdem²⁶⁸, Sanctorum Ioseph et Ioachim, Sponsi et Patris eiusdem Virginis Mariae²⁶⁹, per anni circulum indulgentias annorum decem et totidem quadragenarum qui-buscumque fidelibus Christi, divinis officiis in dicta Ecclesia interessentibus et manus adiutrices pro instauratione ipsius Ecclesiae S. Bernardini porrigentibus, concedere dignaremur, Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis Christifidelibus praedictis, ad Ecclesiam ipsam pro divinis officiis audiendis confluentibus, manusque adiutrices pro instauratione eiusdem porrigentibus, in eisdem quinque festivitatibus decem annos et totidem quadragenas de vera indulgentia perpetuis futuris temporibus, autoritate Apostolica nobis commissa et qua fungimur in hac parte, tenore prsesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus etc [ut in N. 31]. In quorum fidem praesentes litteras etc [ut in N. 31]. Datum Vilnae, sub anno a Nativitate Domini 1521, die 3 Mensis Februarii, Pontificatus praefati Ss.mi Domini Nostri Leonis Papae X anno 8.

N. 39.

Zacharias Ferreri

Alberto, magno Ordinis Theutonicorum magistro

Bialae, 25 II 1521.

Scribit se Bialae, in itinere ex Lithuania, nuntium pontificium invenisse, qui ei mandatum transmiserit de opera sua quamprimum praestanda, quo pax inter illum et regem Poloniae tandem restauretur. Mittit per tabellionem breve

²⁶⁵ Fragmenta orationum antiqui Missalis Romani pro dominicis 11 et 12 post Pentecosten.

²⁶⁶ Tit. 2, 14.

²⁶⁷ Kantak asserit has indulgentias (datatio erronea: 3 XI 1520) concessas fuisse a Ferreri occasione sollemnisi eiusdem ecclesiae inaugurationis proxime futurae (v. Kantak BP I, p. 183). A. 1521 dominica tercia post Pascham celebrabatur 21 Aprilis.

²⁶⁸ Quae cappella est celebris ecclesia gothica, ecclesiae "maiori" sub invocatione S. Bernardini contigua. Cfr. Kantak BP I, p. 176-177. Festum S. Annae celebrabatur 26 Iulii.

²⁶⁹ Quorum dies festi celebabantur respective 19 et 22 (20) Martii.

pontificis, de hac re tractans, et petit, ut a bello gerendo cum avunculo suo abstineat ac ambo adversus Turcas arma convertant.

Autogr.: Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 24678 f. 1r-v. In f. 2v inscriptio (atramento destructa) et sigillum.

-Ed.: Joachim PHA II, p. 370-371 (fragmentum).

Rev.me et Ill.me Domine. Salutem et commendationes plurimas.

Hactenus apud Vilnam, Lituaniae civitatem, ad inquirenda apostolico iussu divi Casimiri, olim avunculi tui, clara gesta et miracula²⁷⁰, quinque mensibus immoratus, non potui in sedando eo periculosissimo bello, quod inter Ser.mum Regem Poloniae, avunculum tuum, et Illustritatem tuam tam diu efferbuit, semperque magis recrudescere visum est, eam operam navare, quae et navanda erat et summopere adhibenda, quandoquidem procul a vobis constitutus, vix quicquam certi eorum, quae agebantur, intelligere, parumque meis epistulis utriusque prodesse possem, quod tamen, pro meo officio utrumque erga, nec usquam praetermittere volui.

Nunc, perfectis inquisitionibus, e Vilna rediens, apud Bialarum Lituaniae, Luceoriensis dioecesis oppidulum²⁷¹, nuntium ex Urbe, cum litteris Ss.mi Domini Nostri in forma brevis ac nonnullis instructionibus ad me venientem, obviam inveni. Mihi mandatur ab eodem Summo Pontifice, ut intermissis quibuscumque negotiis, ad hoc inter vos acre incendium extinguendum (ne iam in maiorem totius rei christiana perniciem vergat) quantocytus [sic] properare debeam²⁷². Sunt et duo brevia apostolica, alterum ad eundem Ser.mum Regem²⁷³, alterum ad tuam Rev.mam Dominationem²⁷⁴. Quorum haec est sententia, ut continuo, depositis armis, a tanta inter vos diurna et dira contentione christianaque religionis iactura maxima abstinere debeatis. Et ne interea, quo ad ipsum regem iter accelero, tempus in vacuum labatur, breve ad tuam Ill.mam Dominationem directum, meo hoc tabellario destinandum duxi. Cui ut pro illius Sanctae Sedis Apostolicae, cui immediate subiicitur, observantia, proque illius Ss.mi Domini Nostri paternis monitis ac mandatis, verticem inclinare ac sine mora obtemperare velit tua Amplitudo, enixissime praecor et oro. Quod ut idem ser.mus rex (sicuti par est) efficiat, nihil omnino praetermittam.

Responsum tuae Rev.mae Dominationis apud ipsum regem praestolabor, obsecroque vehementissime, ut sit celerrimum et de medio facili ac mo-

²⁷⁰ Cfr. N. 3,9.

²⁷¹ Agitur de Biala Podlaska (antiquitus Alba Ducalis vel Alba Radivillorum).

²⁷² Cfr. N.34.

²⁷³ Cfr. N.32.

²⁷⁴ Cfr. N.33.

do mox terminandi ac sopiendi belli absolutum. Nam si, ut anno transacto factum est, difficiles in medium adducantur utrinque pacis conditiones, nihil aliud erit quam vosmet mutuo destruere et rem christianam magis labefactare. Utinam vestrum uterque iamdudum pontificis ss.mi monitis ac mandatis paruissest, in nostrasque deprecationes assiduas (ut merito debebatis) animum inclinare dignati essetis. Non enim in tanta utriusque vestrum et populorum vestrorum piique sanguinis discrimina devenissetis. Quod utique et ipsi Ser.mo Regi et tuae Illustritati non tantum saepius [1v] praedixeram, sed et protestatus eram.

Precor igitur, Alberte generosissime ac ill.me dux et magister, oroque et obtestor, ut pro tui generis splendore, pro tui avunculi ser.mi gratia (quae certe aequae ac patrem habere debes), pro tui ordinis instituto, qui non in piu, sed in impium sanguinem decertare debet ac tenetur, pro Ss.mi Domini Nostri, qui te non modo paterne diligit, verum et tibi unice afficitur, ac sanctae illius apostolicae sedis honore et observantia, pro christianaem demum rei beneficio ac commodo, et Domini Nostri Iesu Christi, qui pro te mori dignatus est, visceribus et amore - bello iam parcas, ab armis iam abstineas, ab tanto religionis nostrae detrimento te temperes.

Ecce iam Turcarum tyranno illo, Selin, pii populi tam saevo hoste, de medio sublatu²⁷⁵, Syriaque et Aegypto ab eius filio (qui et Persico nunc proelio affligitur) deficientibus²⁷⁶, quid ser.mo regi, avunculo tuo, quid tibi, eius ex sorore nepoti, christianis principibus, aliud a Deo optimo maximo innititur, quam ut ea arma, quae in vosmet impie exercetis, in verum utriusque vestri ac christianaem universitatis hostem, debilitatum et (ut ita dicam) in manus christianorum, si modo a longo somno exergiscantur et evigilent, a Deo ipso traditum, pie convertatis?

Quare, princeps optime, agnoscas, obsecro, nunc tempus visitationis tuae, ne dicatur aliquando tibi: Quia si cognovisses et tu [...]²⁷⁷, ac (quod penitus absit) inducat super se tua Illustritas divinam maledictionem pro benedictione²⁷⁸. Quod non debere succedere, in eius summa et sapientia et bonitate, atque erga apostolicam sedem veneratione et filiali oboedientia, plurimum confido. Quae et faustissime semper valeat. Datum in Biala, XXV februarii, M.D.XXI.

Eiusdem Tuae Dominationis Rev.mae et Ill.mae

addictissimus Zacharias, Epus Gardiensis,
Ss.mi D.ni N.ri Papae cum potestae Legati
de latere nuncius et orator

²⁷⁵ Selim I obiit 22 IX 1520.

²⁷⁶ Solimanus II "Magnificus" (1494/5-1566), imperator Turcarum ab a. 1520, bellum cum Persis re vera gerendo, magnam tunc expeditionem in peninsulam Balcanicam parabat (obsessio Albae Graecae - Belgradi); Syriam tamen ac Aegyptum iam eius pater suo imperio subdidit a. 1516-1517.

²⁷⁷ Luc. 19, 42.

²⁷⁸ Gen. 27, 12.

N. 40.

**Albertus, magnus Ordinis Theutonicorum magister
Zachariae Ferreri**

S.l., [initio Martii 1521].

Notum facit se eius litteras et breve summi pontificis accepisse. Se et ordinem suum nil aliud desiderare affirmat quam rei christianaे auxilium ferre, sed a regno Poloniae ad praesens bellum, sine sua culpa, inductus, excusari se petit. Sperat mediatione papae, imperatoris ac regis Hungariae conflictum extinctum iri.

Min.: Berlin, GStAPK, XX, OBA, n. 24694, fasc. 4 f. 1r-v.

Wir haben Euer Lieb schreiben^{a)} mitsampt einer beischrift, wellichs von unserm allerheiligsten vatter, dem babst, an uns gestalt, heut datis entpfangen²⁷⁹, und sonderlich die itzgemelt schrift von bebstlicher heyligkeyt aus gegangen, mit diser mass und ere erzeugung, wy sich geburt, eingnomen und verlesen, und sovil daraus verstanden, wy dan ungeverlich die substanczs derselbig schrift mit sich bringt zu inseriren. Doruff wir Euer Lieb widerumb fruntlicher meynung zu wissen fugen, das wir und unser Orden jhe und allwegen nyhe anderst gebetten und begert, dan dasjenig zu erhalten, domit wir und unser Orden der gemeynen cristenheit zum besten mochten hilflichen erscheinen. Es hat uns aber dasselbig bis uff dise stundt von der Cron zu Polen nyht mogen gedeien, sonder uns und unsren Orden^{b)} stettigs doran^{b)} gehindert, auch disen unlust des krieges dermasen arbeiten^{c)} lasen, wy dan die tad und das wergk vor augen ausweist. Hoffen derwegen, wo bebstliche heyligkeyt dises beginnes clerlich bericht, ir bebstliche heyligkeyt werden aus veterlicher gnad und tugent mit uns und unserm Orden erbarmung haben.

Aber wy dem allen, dieweil wir aus solcher schrift vermercken, das bebstliche heyligkeyt, romische keyserliche und konigliche hispanische maiestet²⁸⁰, als dem voyt der cristenheit, disen merglichen krieg, den die Kron zu Polen wider uns erwegkt, und^{d)} wol zu sagen ader zu schreiben, so wir^{b)} Thattern [1v] und Durcken²⁸¹ weren, gnug sein solt, zu ortern und zu vorhandeln angelangt^{e)}. Wy dan algereit derselbigen romischen keyserlicher und koniglichen hispanischer maiestet, auch der koniglichen wurdt zu Hungern und Behemen gewalthaber und oratores verhanden, die uns auch zu sich zu kommen

²⁷⁹ Vide supra, N. 33 et 39.

²⁸⁰ Carolus V Habsburg.

²⁸¹ Tartari et Turcae.

bescheiden, dem^f wir dan, domit yhe bebstliche heyligkeyt und Euer Lieb spuren und sehen sollen, das wir des frides mher gneigt, dan diser krigischen ubung anhengig also nachkommen wollen, derselbigen geschickten gewalthabern und oratores guttuncken und underhandlung anzuhoren, zu Got verhoffende, sy werden nach underricht unser und unsers Ordens dise sach (e)vormittelst gottlicher hilf^g) dermasen beherzigen, domit man dasjenig furnemen mag, doraus der ganczen cristenheit nucz und gedey zu entpfinden. Was dan wir und unser Orden, wy wir uns alwegen dargegeben, zu solchem, uns imer mher tonlich ader leidlich, helfen konnen, soll kein mangel an uns gespurt werden. Das haben wir Euer Lieb uff solch ir schreiben fruntlicher meynung nicht wollen bergen. Datum [...]^h).

a) *Sequitur expunctum: sampt*

b) *Adscriptum supra.*

c) *Adscriptum in margine pro expuncto in
textu: handeln*

d) *Adscriptum supra pro expuncto: es*

e) *Sequitur expunctum: und in deutsch gegebe*

f) *Adscriptum supra pro expuncto: den*

g-g) *Adscriptum in margine.*

h) *Desideratur.*

N. 41.

Zachariae Ferreri relatio de suo in Lithuania itinere

S.l., [initio Martii 1521].

Mandato pontificis, qui ei commisit, ut ad tumulum beati Casimiri Vilnam se conferret processum illius canonisationis instructurus, iisque quae in hac re tum Ioannes Łaski et Petrus Tomicki, tum ipse egisset in memoriam revocatis, describit iter suum in Lithuania, a suo Torunia 11 VIII 1520 discessu usque ad Vilnam 2 IX eadem anno adventu, disserens de terris, hominibus et animalibus illas inhabitantibus; de pluviis, quae ipsis iter facientibus et in Vilnam solemni ingressu continuo minabantur, intercessione tamen beati Casimiri nihil eis mali fecerunt, similiter ac gelida plerumque hiems, quae hoc anno mitis fuit, praesertim cum vigiliis noctis Nativitatis Domini celebraret. Sequitur elogium ipsius Casimiri ac relatio de processus eius canonisationis conclusione actorumque Romam transmissione futura.

Divino [...] beneficio²⁸² perciti Lituaniae duces ac domini ser.mum Poloniae regem Sigismundum, divo quidem Casimiro germanum superstitem, qui et ipsorum magnus dux est, enixe deprecati sunt, ut apud sanctam Apostolicam Sedem, quo idem Casimirus sanctorum confessorum numero absque prolixiori mora adscriberetur, intercederet, instaret. Quod et dum crebris epistolis ac insignibus oratoribus rex ille religiosissimus ab [A8r] beatissimo Leone decimo, pontifice maximo, impetrasset²⁸³, servatissimis patribus Ioanni, archipraesuli Gneznensi, Poloniae primati ac legato nato, necnon Petro, tunc Premisiensi, nunc vero Posnaniensi pontifici regnique Poloniae vicecancellario²⁸⁴, postremo vero nobis, in Polonię et Prussiam ad eundem regem mandato apostolico ex Urbe proficiscentibus ad ipsius divi Casimiri gesta ac miracula perquirenda, inter caetera ardua negotia, provincia est demandata²⁸⁵.

Id vero muneric omni fideli opera et sedulitate exquisitissima ita obivimus atque exegimus, ut inter innumera pene miracula, quae, iureiurando adhibito, illi nobis recensuere, qui et interfuerunt et conspexerunt, manibus contrectavere ac in semetipsos experti sunt; quosve nobiliores ex aliis et fide digniores ad testimonium perhibendum delegimus; ea tantum, omissis superfluis, quae singularia et ad eius sanctitudinem probandam sufficere visa sunt, descripserimus, annotaverimus.

Hunc autem modum, hanc serię observavimus. Postquam apud eundem inclytum regem, apud magnum Prussiae magistrum, ex Brandenburgensis marchionibus illustrem Albertum, invicem dissidentes gravique bello decertantes, reconciliandi eos gratia semestri laborassemus, ambobusque in amicitiam pene adductis, postrema penderet et in longum tempus traheretur pacis conditio, itinere in Lituaniam autumni ingressu iam accommodo, ut iussu sanctissimi pontificis Romani eousque in Vilnam proficisceremur, se pulchrum divi Casimiri ibidem viseremus, indeque, tamquam e pleno fonte, eius et gesta et miracula satius hauriremus, rex ipse postulavit²⁸⁶.

Vilna vero civitas, in ulteriore Sarmatiam septentrionalem sita, ab Thorunio, Prussiae oppido, ubi [A8v] tunc agebamus, quingentis millibus passuum distat. Patria coeli rigiditate frigida et horrida, in qua raro aestas aspicitur, planicie et silvis stagnisque ac paludibus undequaque vallata est; nobilitate gentis clara, commeatu vario et mercimoniis, quum ex Germanico et Sarmatico oceano²⁸⁷, tum ex Pontico mari²⁸⁸, Armeniaque, Scythia (Tau-

²⁸² Antea narrat de miraculosa quadam victoria exercitus Lithuaniae de Moscis reportata, quam intercessioni beati Casimiri adscribit. De huius loci momento in hagiographia S. Casimiri v. Wojtyska PKSK, p. 202-206.

²⁸³ De primis regii petitionibus, per Laurentium Międzyleski, Ioannem Łaski et epistulas, Leoni X porrectis, v. Wojtyska PKSK, p. 205-214.

²⁸⁴ Ioannes Łaski et Petrus Tomicki.

²⁸⁵ Cfr. supra, N. 3, 9.

²⁸⁶ Vide supra, N. 27.

²⁸⁷ Mare Balticum.

²⁸⁸ Mare Nigrum.

rica Chersoneso potissimum)²⁸⁹, Tracia insuper, omniq[ue] fere Graecia et Mysia²⁹⁰ insignis; situ spatiosa, vitis ignara, frugibus sterilis, sed robustioribus equis et exiguis illis animalibus, e quibus ad vestimentorum ornatum frigusque cohibendum preciosae pelles conficiunt sobolis, marduribus mustellisque candidissimis seu armellis (ut ab Armenia vulgo dicunt) non parum affluens; praeterea et bisontis sive uri, ongari, ursi, cervi, aprique spectaculo ac venationibus ob nemorum magnitudinem et densitatem praecipua.

Huc igitur, custodibus et ducibus itineris nobis a rege adhibitis, XI Idus Augusti²⁹¹ ex Thorunio per Amassobiam²⁹² solvimus. Dumque autumnale tempus humidusque et nubilosus aer ingentes pluvias quotidie minarent, nusquam tamen nos imber iter facientes collegit; sed vel noctu, vel inter diu, postquam sub tectum in hospitia nos receperamus, confestim cadebat, ac si nubes, quasi velamen quoddam, nos a solis ardore die protegere, et noctu nimbus descendens harenosos pulveres, quibus iter illud infestum redditur, ne oculos offenderent, coelesti beneficio compescere videretur. Quod divinum munus ob eum, quem pro divi Casimiri meritis indagandis lubentes laborem suscepseramus, nobis a Deo optimo concessum admirabundi conspicabamur. Nam et quandoque nobis iter habentibus, fulgorante undique coelo et stridente ac boante tonitruo versaque pene in [B1r] noctem die, tanta vis aquarum ad duas ferme horas in aere suspensa cernebatur, ut terram omnem sub alluvie illa pene posse submergi credidisses. Nobisque tamen, cur tantum immoraretur minitantis pluviae casus obstupescentibus, mox ut hospitio appuleramus, equive nostri, sarcinaeque insuper et currus omnes sub tectum recepti erant, tantus pluviae e coelo ruentis repente impetus inundabat, ut quasi nos, quounque una cum rebus nostris ab ea tuti ac liberi essemus, expectasse videretur.

Semel quoque, dum in Amassobia diem Assumptionis Gloriosae Virginis et Dei Genitricis Mariae totum ferme solemnibus sacrificiis celebrasssemus²⁹³, iamque affatim decidente pluvia, quae initio diei incooperat (nec desinebat), iter nostrum prosequi statuissemus, quum primum equos conscendimus, nimbus ille omnis, serenitate restituta, ita continuo sedatus est ac si ad Dei benignitatem in servo eius Casimiro nobis manifestius ostendendam momentum illud, quo cessaret, divino iussu pependisset. Semel tantum eo itinere, quod duabus et XX diebus perfecimus (modicoque tamen spatio), exilis quidem et tenuis imber, instar roris, nos ulla absque molestia et dispensio vix attigit.

²⁸⁹ Peninsula Crimea

²⁹⁰ Regio antiqua ad Hellespontum in Asia Minore.

²⁹¹ Id est 11 Augusti 1520.

²⁹² Masovia, regio et ducatus in Polonia septentrionali; nomen "Amassobia" Ferreri dicit verisimiliter ab "amasco", i.e. "amare incipio".

²⁹³ 15 Augusti.

Per silvarum igitur incultos aditus, desertaque ac palustria saepenumero loca iter agentes, prima Dominica die, IIII nonas Septembres²⁹⁴, Vilnam seu Velliam (utroque enim nomine a duobus fluminibus, quibus abluitur, dicta est), Christo auspice, pervenimus. Mane ante nostrum in civitatem ingressum, pro nostra et urbis illius salute ac fausto agendarum rerum successu, omnipotenti Domino sacrificium obtulimus, de difficilique et longo itinere prospere acto egimus gratias. Facto demum prandio, tertia fere ante noctem hora²⁹⁵, servantissimis patribus Ioanne [B1v] Vilnensi, Ioanne Chioviensi et Iacobo Caphensi pontificibus²⁹⁶, magistratibus quoque ac universo clero, innumerabili denique ex catholicis et schismaticis populo obviam venientibus, civitatem intravimus, ad divi Stanislai aedem, quae primaria ibi est et pontificia, perreximus, persolutisque Deo gratis ac sacris caeremoniis rite servatis, in hospitium honorificentissime deducti et suscepti sumus.

Illud autem admirabile fuit, quod, dum civitatem ipsam intraremus, tantam aquarum inundantiam, densatis undique nubibus, obscurus aer minabatur, ut nulla ingruentis alluviei periculum evadendi spes nobis superesse videretur. Sacerdotes sacris induiti vestibus (et his quidem preciosissimis), senatores et optimates serico, gemmis et auro circumamicti, populumque innumerabilis concursus, imbrem maximum metuentes, coelum arrecti suspiciebant. At omnipotens Pater et Deus totius consolationis²⁹⁷, ut ostenderet sese in finem usque operimento alarum suarum nos benigne protegere voluisse, eum aquarum conatum, quod rarissimas demittens guttas, vi quasi velle irrumperem videbatur nec posse, ita suspensum retinuit, ut admirantibus cunctis, nusquam descendere valuerit, quo usque, sacris aedibus perlustratis peractisque supplicationibus, ad hospitium inde adducti essemus. Enimvero, ut primum nos tectum exceptit, tam crebra praecipitis pluviae celeritas secuta est, ut eodem pene momento fuerit hospitiis ingressus et imbrium descensus.

Nec silentum esse putamus, quod nobis, omni Lituania admirante, divinitus accidisse nemo ignorat. Quum enim Lituania, Sarmatiae provincia, ex septentrionali plaga, ubi sita est, frigida adeo, hiberno praecipue tempore, et gelida existat, ut non modo homines extra domos diutius [B2r] immorantes aliquando nasum extremitatesque digitorum ex eo frigore maximo amittant et frequentissime ita congelent, ut vitae cedere compellantur, verum et ferae ipsae in silvis immobiles fiant, arboresque ac tigna domorum crepent ac a summo deorsum usque saepenumero proscindantur, eo tamen tempore hiberno Decembre et Ianuario, quibus ibi eramus, et maior hiemis rigor saevit et crudescit, quod nos mirum in modum verebamur, tanta temperies

²⁹⁴ 2 Septembbris.

²⁹⁵ Id est circa horam 15 iuxta computum hodie usitatum.

²⁹⁶ Ioannes e ducibus Lithuaniae; Ioannes Filipowicz († 1524), custos Vilnensis, epus Kioviensis (confirmatus 4 VII 1520); Iacobus de Miechów, Ord. Cisterc. († 1531), epus tit. Caphensis, suffraganeus Vilnensis ab a. 1512.

²⁹⁷ 2 Cor. 1.

praeter et temporis et regionis naturam, supra etiam omnium hominum memoriam et existimationem fuit, ut Deus omnipotens tunc nobis Italis, qui Romanae temperiei assueveramus, et qui levi huius patriae frigore laedi facile poteramus, circa merita et miracula servi sui Casimiri inquirenda laborantibus, favisse auxiliumque de alto misisse proculdubio dinosceretur. Omnes enim Lituani illam temperiem et clementiam aeris, nunquam olim ibi aut visam aut auditam, nos ex urbe Roma attulisse passim asseverabant.

Quid maius, quam quod in nocte illa faelicissima Nativitatis Domini nostri Iesu Christi nobis evenit. Quum enim universum clerum et populum Vilnensem ea nocte in orationibus et divinis laudibus una nobiscum vigilare per divini verbi precones hortati essemus, quo lumen suum indeficiens in tam ardua re nobis concedere summus Auctor dignaretur, omnesque lubentissimo animo id suscepissent, ac nobiscum integra nocte maneque usque ad meridiem, ad varias pergentes ecclesias, ubi nos ter solemni ritu sacrificavimus ac ter intra sacrificandi solemnia de erroribus Ruthenorum sermonem ad clerum et populum habuimus, excubassent et laborassent, vix tamen nocte, vix mane ipso, quo intensissimum gelus esse semper consuevit, omnibus obstupescientibus, fri[B2v]goris aliquid sensimus, aut hiemem esse credidimus, quamquam laboris non parum accepimus.

Hic vero libeat paulisper fessos quiescere, ipsiusque Casimiri apud supremum Conditorem gloriam et celsitudinem, non iam verbis intexere, sed animo volvere, speculari, contemplari, admirari; qui natalium splendore clarissimus, qui divitiarum potentiaeque magnitudine praecellens, virentis adolescentiae decore floridus, venustate corporis et mentis sublimitate insignis, bonarum artium eruditione conspicuus, providentia ac probitate omnibusque virtutibus ornatissimus, brevem hanc, caducam et incertam vitam flocci pendere novit, inanem mundi gloriam contempsit, aeternam in coelo affectavit, ad veramque foelicitatem consultius anhelavit, peregrinationem hanc cum patria, naufragium hoc cum portu, laborem hunc cum quiete, moerorem hunc cum gaudio, mortalemque hanc conditionem cum immortalitate commutavit.

Addiscant eius exemplo et reges et principes labili huius saeculi et momentaneo culmini non fidere, sed quae sursum sunt sapere²⁹⁸. Addiscant dientes et potentiores terrenas opes, quas cui congregatur sint ignorant, despiciere, indeficientesque in coelo adamare²⁹⁹. Agnoscant adolescentiores et formosiores, quoniam omnis caro foenum et omnis gloria eius tamquam flos agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur³⁰⁰, et veram immortalitatis aeternitatisque pulchritudinem concupiscant. Habeant et erudit iuvenes quem imitentur, ut bonas artes non ad cassam ostentationem seu vanitatem, sed ad Christi obsequium adipiscantur.

²⁹⁸ Coloss. 3, 2.

²⁹⁹ Ps. 38, 7.

³⁰⁰ Matth. 6, 30.

Gaudet inclyta et speciosa Italia, ex qua et Litalicana et Lituanica excoelsa nobilitas, unde Casimirus oriundus est, primaevam accepit originem³⁰¹. Laetetur ampla et spatiosa Sarmatia, [B3r] quae omni gelu, omni algore devicto, omni sui sterilitate superata, formosissimam foelicissimamque arborem hanc vitae, suavissimum fructum hunc honoris et honestatis produxit. Exultet sancta et pia mater Ecclesia, quae illum ut filium in Christo edidit in lucem, et sui strenuum militem celeriori palma e duro vitae huius certamine triumphatorem in coelum transmisit. Praeclara gloriatur Polonia, ex cuius religiosissimis regibus, excelsa gratuletur Lituania, ex cuius magnificentissimis derivat ducibus. Exultet praecipue Vilna, insignis civitas, quae illa eius ossa candidissima, illas eius dulces exuvias reliquiasque sanctissimas in pignus servat futurae immortalitatis et gloriae. Iubent omnes christianorum ecclesiae, pia templa divinis resonent paeconis; hinc carmina, inde chorus et organa modulentur, solemnibus sacris aras cumulent sacerdotes, phana [sic] supplices adeant, Deum colant et venerentur primores patres, reges terrae et omnes populi, principes et quicumque iudices terrae, iuvenes et virgines³⁰², lactentes cum homine sene³⁰³. Casimirus enim de carnis ergastulo coeli amplitudinem est ingressus, de morte transivit ad vitam, de profunda lachrymarum valle ad excelsa et sempiterna gaudia transilivit³⁰⁴.

Quoniam vero nos, et e nostris plerique domesticis, favorem illius et beneficia experti sumus, epitaphium heroicum et canonicas horas, sive ecclesiasticas laudes, hymnosque ac sacrificandi seriem in eventum eius in sanctos relationis, quam ab sanctissimo domino nostro Leone decimo, pontifice maximo clementissimo, illaque Sancta Romana Ecclesia iure aequo futuram esse speramus, edidimus ac pro divinis ab eo susceptis muneribus voto supplices obtulimus³⁰⁵. Miracula denique eius, a nobis studiosissime comperta, [B3v] meritaque sanctissima et testium ac contestium dicta alio volumine copiose et fideliter longa serie describuntur³⁰⁶, regnante atque imperante Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in saecula. Amen. Datum Vilnae, XI Kalendas Decembres, anno salutis millesimo quingentesimo vigesi-

³⁰¹ Fabula de Romanis originibus nobilitatis Lithuaniae divulgata est iam saeculo XV, etymologia tamen hic usitata est mera inventio Ferrerii, erronee interpretata a J. Suchocki (*Geneza litewskiej legendy etnograficznej. Aspekty polityczne i narodowe*, "Zapiski Historyczne" 52 (1987), p. 46-48), nuntius enim, dictam fabulam reinterpremando, nil aliud intendebat, quam ut communes radices Lithuanorum et Casimiri cum Italia ostenderet.

³⁰² Ps. 148, 11-12.

³⁰³ Deutr. 32, 25.

³⁰⁴ Praeconium hoc est compositum ad instar illius, quod inter solemnia Vigiliae Paschatis ritu Romano cantatur.

³⁰⁵ Inveniuntur in eodem volumine *Vitae Beati Casimiri*, f. B4r-C7v, et separatim in eiusdem Ferrerii opere, cui titulus *Hymni novi ecclesiastici, iuxta veram metri et latinitatis normam a beatissimo patre Clemente VII... ut in divinis quisque eis uti possit approbatis*, Romae, 1525 f. 103v-107v.

³⁰⁶ Volumen hoc perditum est, cfr. Wojtyska PKSK, p. 219-221.

mo, eiusdem vero sanctissimi domini nostri Leonis, divina providentia papae X, anno octavo³⁰⁷.

N. 42.

**Zacharias Ferreri
Iacobo Brzozowski, parocho Plonsensi**

Ciechanoviae, 5 III 1521.

Absolutione ab omnibus poenis prius impertita, concedit ei facultatem, ut una cum parochia Plonsensi unum, et sine illis duo beneficia, etiam incompatibilia et cum cura pastorali coniuncta, adipiscatur; et cum eo, ad hunc effectum consequendum, dispensat ab obligatione sacros ordines intra biennium recipiendi.

**Cop.: Płock, ADP, Acta Officialia Plocensia, ms. 184 f. 165r-v cum inscriptione:
"Ingrossatio litterarum D.ni Brzozowski" (ab ipso petita).**

Zacharias etc. [ut in N. 31] dilecto nobis in Cristo Iacobo Brzozowski, clero et rectori parochialis ecclesiae in Plonsc³⁰⁸, Plocensis dioecesis, salutem.

Vitae et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et graciis [sic] prosequamur. Hinc est, quod nos, volentes te, qui, ut asseris, pro[...]^{a)} ecclesiam praedictam inter alia obtines praemissorum meritorum tuorum intuitu, favore prosequi gratioso, a quibuscumque excommunicationis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolvimus et absolutum fore censeris; necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica sine cura, quae obtines, ac cum cura et sine cura expectas, ac in quibus et ad quae ius tibi quomodolibet competit, quae-cumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque ac dictae ecclesiae fructuum, reddituum et proventuum veros, annui [...]^{b)} valoris, presentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati,

tecum, ut una cum dicta ecclesia unum, et sine illis duo alia quae-cumque, invicem incompatibilia beneficia ecclesiastica, etiam si parochiales

³⁰⁷ Data haec refertur tantum ad conclusionem processus canonisationis beati Casimiri, nam in textu author narrat de sua commoratione Vilnae adhuc subsequentibus mensibus Decembri et Ianuario.

³⁰⁸ Iacobus Brzozowski de gente Lubicz, parochus in Płońsk, postea canonicus Plocensis.

ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae aut dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus et metropolitanis, vel collegiate et dignitates ipsae in cathedralibus et metropolitanis post pontificales maiores, seu in collegiatis huiusmodi principales fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi [pertinere]^{c)} consueverint, qui per electionem assumi [sic], eisque cura incumbat animarum; necnon ad duo quaecumque dissimilia aut simplicia, similia sub uno et eodem tecto unius et eiusdem^{d)} dumtaxat ecclesiae consistentia, alias se invicem compacentia, iuxta formam facultatis nobis concessae³⁰⁹, si tibi alias canonice conferantur, aut eligaris, praesenteris, vel alias asumaris ad illa et instituaris in eis, recipere et, quoad vixeris, retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutacionis [sic], quocies tibi placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia, beneficium vel beneficia, ecclesiasticum vel ecclesiastica, duo dumtaxat incompatibilia et duo dissimilia, aut simplicia similia, sub uno et eodem tecto unius et eiusdem ecclesiae dumtaxat consistentia, dummodo duo canoniciatus et duae prebendae et totidem dignitates, personatus, administrationes vel officia insimul non existant, similiter recipere libere et licite valeas;

[tecumque]^{c)}, ut ratione dictae parochialis ecclesiae, quam obtines, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum curatorum, seu alias sacros et presbyteratus ordines, tam de iure quam de statuto et fundationibus vel alias requirentium, per te pro tempore obtentorum, usque ad biennium, [165v] a fine anni^{e)} a iure prefixi computandum, ad aliquem ex sacris ordinibus huiusmodi te promoveri facere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus valeas coarctari, auctoritate apostolica nobis commissa et qua fungimur in hac parte, tenore praesentium, de speciali dono gratiae dispensamus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae Ss.mus Dominus Noster in facultatibus nobis concessis voluit non obstat, caeterisque contrariis quibuscunque, proviso quod obtenta ecclesiastica et alia incompatibilia ac sub eodem tecto dissimilia et simplicia, similia huiusmodi beneficia suis propterea non fraudulentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed illorum onera supotentur [sic] consueta.

In quorum fidem praesentes literas per secretarium nostrum nostrique sigilli fieri iussimus et fecimus apensione [sic] communiri. Datum Czyechanow³¹⁰, Plocensis dioecesis, sub anno a Nativitate Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Primo, die quinto Mensis Marcii [sic], Pontificatus prae-fati Ss.mi Domini Nostri Leonis Decimi anno octavo.

a) *Sequitur verbum illegibile.*

b) *Lacuna in textu.*

c) *Verbum evidenter omissum.*

d) *Sequitur expunctum: Ecclesiae*

e) *Sequitur: si*

³⁰⁹ Cfr. supra, N. 11.

³¹⁰ Ciechanów, caput palatinatus in Masovia.

N. 43.

**Zachariae Ferreri
ad Sigismundum I gratiarum actio**

Toruniae, 7 IV 1521.

*Gratias agit pro belli cum Ordine Theutonico ad quattuor annos suspen-
sione; invitat, ut - una cum Alberto, magno illius ordinis magistro - arma ad-
versus Turcas convertat; gratulatur de filio Sigismundo Augusto nato et felicem
Cracoviam redditum optat.*

Cop. coaeva: Wrocław, BOss, ms. 176 II f. 398r-399v (ms. Stanislai Górskego).

Ed.: Ferreri VBC, f. [D7r-8r].

- **Cop. XVII saec.:** Kórnik, BPAN, ms. 223 p. 34-36.

- **Ed.:** Działyński AT V, p. 376-377.

Sachariae [sic], Episcopi Gardiensis, legati Apostolici,
ad Sigismundum, regem Poloniae, pro belli Pruthenici suspensione et
armorum depositione gratiarum actio

Etsi potius optassem de perpetua inter te et Albertum, Prussiae magis-
trum, facta reconciliatione ac pace inita (si datum esset) aeternas Deo Op-
timo Maximo tibique, Sigismunde rex potentissime, gratias agere, pro cruento
tamen hoc et diurno bello, a te saltem intermisso, eas nequaquam praeter-
mittendas esse censeo, quandoquidem tu, princeps clementissimus, chri-
stianae clavis misertus, Sanctissimi Leonis decimi, antistitis maximi, pa-
terno consilio et imperio pontificio parere pro innata tibi religione non recu-
sasti³¹¹. Ampliore profecto ac iucundiore gaudio laetari decuisset, si omni pe-
ne christiano orbe pacato, hanc quoque habitabilis terrae extremitatem ab
omni belli suspicione ac periculo immunem conspicaremur, illudque Davidi-
cum, quod quotidianie ore versamus: Venite et videte opera Domini, quae po-
suit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terrae³¹², in hoc tuo
regno adimpletum esse contueremur.

At, quum ad quattuor annorum inducias, pro beatissimi pontificis voto,
tuum animum inclinasti, quibus ad perennem pacem via facilis habenda est,
Summo illi Opifici imprimis, a quo omne datum optimum et omne donum
perfectum est³¹³, quas possum immortales et immensas, tuaeque Serenitati
ingentes habeo agoque gratias, ac referre opto, postquam tot rei christianaee

³¹¹ Indutiae quattuor annorum initiae sunt 5 IV 1521 (v. Biskup WP, p. 450-455. De parte, quam in ultima earum præparatione habebat Ferrerius, v. ibidem, p. 447-448).

³¹² Ps. 45, 8.

³¹³ Iac. 1, 17.

periculis a te occurritur, postquam Pontifici Ss.mo obtemperatur, postquam tot nostras curas et operas assiduas, tot varia, longa et difficilia itinera, tot mentis et corporis discrimina, pericula, tot sedula officia frustra non egimus, non suscepimus, ad illosque pedes beatissimos et Thronum [399r] Apostoli-cum tantorum laborum fructum aliquem referre liceat.

Tuum erit interea, Rex amplissime, eis conditionibus, eis modis regium tuum animum benigne flectere et accommodare, quibus inter te, Avunculum Serenissimum, et Albertum, de sorore nepotem, principem excell.mum, ac Ordinem Theutonicorum, vera, integra ac perpetua reconciliatio, pax et ne-cessitudo instaurentur, illaque dissidia, illa arma, quae hactenus inter vos efferbuere, in hostes christiani generis et catholicae unitatis inimicos, quos in ianuis vestrum uterque habetis, reiiciantur. Subeat nunc illa sancta et salubris cogitatio assumendi arma in Thurcas, in Mauros, recuperandi patriam illam, mystico lacte et melle manantem³¹⁴, ubi Deus noster ante saecula ope-ratus est salutem in medio terrae³¹⁵, ut inde, omni infidelium et immundo-rum hominum lue eliminata et sublata tyrannide, liberi adoremus in loco, ubi steterunt pedes Eius. Subeat nunc cura illa egregia et insignis eripiendi fratres nostros, verum semen Abrahae, de impiissimi Mahumetis iugo, ac orientale imperium sanctae et immaculatae religioni restituendi. En sub crudeli diutinaque servitute genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis³¹⁶ languet, super flumina Babylonis sedet et luget, dum recordatur liberae Syon nostraræ³¹⁷.

Huc, Rex invictissime, huc Rex glriosissime, una cum nepote tuo charis-simo, Alberto, Illustri Principe, una cum christianis principibus universis, apprehende arma et scutum, et exurge in adiutorium christiani populi. Ef-funde frameam tuam adversus eos, qui nos persequuntur³¹⁸. Haec enim sunt, quae te glriosissimum, tuamque prolem dulcissimam, Sigismundum Au-gustum principem, quem diu votis omnibus efflagitatum, expectatum, a Deo optimo, ex Bona, Regina inclyta, tandem quum ex Aragonum Regibus, tum ex Sforciadum ducum sanguine praestantissima, nostraræque Italiae splendore candidissimo, impetrasti³¹⁹, faustum et invictum ubique, posteritatemque tuam aeviternam efficient.

Gratulor itaque quieti [399v] tuae, Rex amplisime, gratulor tranquillita-ti. Vixque explicari a me potest, quanta laetitia, quanto gaudio mea undique praecordia compleantur, quum te sospitem pacatumque, modo in regiam tu-am urbem Cracoviam^{a)} reducem, almae coniugis charique Augusti, quem am-plius vidisti nunquam, et dulcium pignorum, a quibus abfuisti diu, iucundis-simo conspectu oblectandum adeo esse his oculis prospecturus sum, ut om-

³¹⁴ Scilicet Palestinam; refertur ad Exod. 3, 8 et alios versus.

³¹⁵ Ps 73, 13.

³¹⁶ 1 Petr. 2, 9.

³¹⁷ Ps. 136, 1.

³¹⁸ Ps. 34, 2-3.

³¹⁹ Sigismundus Augustus, futurus rex Poloniae (1548-1572), natus est Cracoviae 1 VIII 1520.

nium curarum, quas hactenus subiisti, sustinuisti, tum te oblitum fateare.
Dixi.

^{a)} Thorunii, VII Idus Aprilis 1521, anno pontificis Leonis 9^o, Sigismundi regis Poloniae regni XV^{-b)}.

^{a)} Ferreri VBC habet Graccoviam, quod proprium stylo nuntii esse videtur.

^{b-b)} Abbreviatio copistae. In Ferreri VBC legitur:
Thorunii in Prussia, VII Idus Aprilis MDXXI,
Pontificatus Ss.mi Patris Leonis X anno IX,
Regni vero Ser.mi Poloniae Regis Sigismundi
XV.

N. 44.

Zachariae Ferreri ad Sigismundum I oratio de eliminanda ex eius regno Lutheri doctrina

[Toruniae, initio Aprilis 1521].

Laudat Polonorum in fide catholica constantiam, sed cum animadverterit inter eos Lutheranismi semina spargi, ideo officii sui putat regem, episcopos et proceres Poloniae praemonere, ut illa, dum adhuc tempus est, supprimant; nam, etsi Ecclesia infallibilis et invincibilis, promittente Christo, semper omnes haereses superabat et superabit, tamen defendi debet, ne falsa Lutheri dogmata populos inficiant. Refellit Lutheri obiectiones contra primatum Romani pontificis et clericorum mores corruptos, ipsius superbiam et malam vitam castigando. Invitat regem, ut libros Lutheri per Polonię spargi prohibeat et eos, qui inventi sunt, comburi faciat.

Ed: Ferreri OT, f. A IIr-[A VIv]. In marginibus referentiae ad capitula locorum S. Scripturae, qui citantur in textu. Tota haec oratio inspirata esse videtur textu bullae Leonis X, quae incipit "Decet Romanum Pontificem", 3 I 1521 contra Martinum Lutherum editae (cfr. Bullarium Romanum V, p. 761-764).

Oratio

Rev.mi Patris, D.ni Zachariae Ferrerii, Vincentini, pontificis Gardiensis,
in Polonię et Lituaniam legati apostolici,
ad ser.mum Regem Poloniae Sigismundum de eliminandis e Regno Poloniae
erroneis et contagiosis traditionibus Martini Luteri

Quum primum, auspice Deo, in has Sarmatiae regiones, quae tuo parent imperio, Sigismunde rex potentissime, apostolico me iussu contuli, non potui non magnopere mirari religionem erga Deum pene incredibilem, observantiam erga Romanam Ecclesiam incomparabilem, quas in te, principe optimo et piissimo, pree omnibus, in pontificibus sacerdotibusque pree caeteris, in proceribus quoque ac senatoribus tuis pree multis, in subiectis insuper tibi populis pree variis christianorum nationibus, non scintillare tantum, sed et luculentius splendere animadverti³²⁰. Qua re factum est, ut christiana reipublicae non mediocriter gavisus sim, quae in orbis finibus, seu borealibus terrae limitibus, ubi coeli rigiditas maxima, ubi tellus frigida est, hortum salutarium deliciarum ac amoenissimum spiritualis voluptatis paradisum, agrumque ac vineam feracissimos possideat, a quibus fructus honoris et honestatis suo tempore procedant³²¹; quorum et folium, circumflantibus infidelium nationum ventis, quae tuos fines pene undique accolunt, non defluat, sed potius contra eos quaecunque facias pio marte, semper prosperentur. Non sic impii, irreligiosi, schismatici et a vera religione devii, non sic, sed tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae³²². Benedictus Deus, qui dedit, ut tu, princeps religiosissime, regnumque tuum abundetis omni opere bono, sicque ambuletis, ut abundetis magis³²³; in vobisque verificetur illud propheticum: Terra inculta facta est ut hortus voluptatis³²⁴.

Sed paradisus absque serpente non est³²⁵, nec hortus sine eruca et bracho³²⁶, neque ager tritici absque [A IIv] lolio et zizaniis³²⁷, neque vinea Domini sabaoth absque apro de sylva et singulari fero, qui quandoque exterminet et depascat eam³²⁸, neque Abel absque Chain³²⁹. Sic enim, dum in hoc saeculo degimus, mala bonis mixta sunt, ut, iuxta apostolum, uniuscuiusque opus probetur, quale sit³³⁰. Hoc de haereticis dico, de quibus idem apostolus ait: Oportet haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant³³¹. Mox quippe ut tanta, quae hic semper virescit, religionis amoenitate admodum oblectarer, non defuit quoque virus atrum, quod haustum florum ac fructuum fragrantiam et suavitatem suo contagio pene inficeret, tristiciamque non mediocrem meo animo afferret, aspidis - inquam - surdae fratris Martini Luteri insana doctrina et ab catholicis dogmatibus aberrans; quae, cum iuxta sui nominis sonum et ethimologiam, sicuti lutum figuli et lutea testa, fragilis

³²⁰ Duabus annis postea scribit diverse, cfr. infra, N. 54.

³²¹ Eccl. 24, 23.

³²² Paraphrasis Ps. 1, 3-4.

³²³ 1Thessal. 4, 1.

³²⁴ Gen. 19; Ezech. 36, 35.

³²⁵ Cfr. Gen 3, 1-13.

³²⁶ Iobel. 2, 25.

³²⁷ Math. 13, 25-40.

³²⁸ Ps. 79, 14.

³²⁹ Gen. 4, 2-9.

³³⁰ 1 Cor. 3, 13.

³³¹ 1 Cor. 11, 19.

admodum existat³³², nec rationi tamen scit cedere, nec divinis doctrinis se novit flectere, sed obturat aures suas, ut non exaudiat vocem incantantium et benefici incantantis sapienter³³³, sub imagine zelatoris pro domo domini³³⁴ ac sub cultioris sermonis confictaeque loquentiae lenocinio nectar propinat felle commixtum, mella taxis conspersa subministrat, incautioresque ac imperitiores animos quasi meretriciis quibusdam blanditiis aucupatur.

Quod Salomon in parabolis ad unguem expressisse videtur, quum ait: Consydero [sic] vecordem iuvenem, qui graditur in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris et caligine; et ecce occurrit illi mulier in ornatu meretricio, praeparata ad desipiendas animas, garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians³³⁵. Sed quoniam, ut Esaias ait, redundant fructus eius in conculcationem et lutum³³⁶, ideo ut lutum platearum, authore Domino, delebimus eos³³⁷. Sive enim luter, sive lutum, utrumque vocabulum malam sui exprimit qualitatem. Lutum sane sicuti immundum est, ita et coquinat; Traditio Luterina, uti immunda est, carnalis et contagiosa, ita etiam quem attigerit foedat, inficit, commaculat, erroribus con[A IIIr]spergit, quoniam a vera et catholica, quam semel amplexatus est, unitate deficiens, iuxta Petrum apostolum, veluti canis est reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti³³⁸. Luter autem (ceu notissimum) vas est, in quo vinum aqua perfunditur, ut verificetur de eo illud propheticum: Vinum tuum mixtum est aqua³³⁹, i[deo] insipidum est, debile est, arte confictum est, corruptibile est. Et iuxta Hieremiam: Plaga tua facta est quasi mendacium aquarum infideliūm³⁴⁰.

Hanc pestem, tanquam rubiginem, segetem Domini in regno tuo devastantem, quum prospexerim, rex augustissime, ne mihi, pontifici, sanctaeque apostolicae sedis apud maiestatem tuam nuncio, impingatur illud Esaiae: Speculatori caeci omnes nescierunt universi, canes muti non volentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia [...], ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam³⁴¹, non possum dissimulare, non possum silere, quin coram tua serenitate non conquerar et pro custodia domus Dei, quam decet sanctitudo³⁴², repetitos contra invasorem eiulatus non emittam, excitemque pontifices optimatesque tuos, ut communi huic incendio extinguedo mecum evigilent, omnemque operam navent, accurrant et aquam sapientiae saluta-

³³² Cfr. Dan. 2, 41-43.

³³³ Ps. 57, 5.

³³⁴ Ps. 68, 10.

³³⁵ Prov. 7, 7-12.

³³⁶ Is. 10, 6.

³³⁷ Ps. 17, 12.

³³⁸ 2 Petr. 2, 22.

³³⁹ Is. 1, 22.

³⁴⁰ Ier. 15, 18.

³⁴¹ Is. 56, 10-11.

³⁴² Ps. 92, 7.

ris superponant. Flecto autem genua mea cum apostolo ad patrem Domini nostri Iesu Christi, qui dederit vobis secundum divitias sapientiae suae virtutem corroborari per spiritum eius in interiore hominem, et Christum ita habitare per fidem in cordibus vestris, ut in charitate radicati et fundati, comprehendere possitis cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum³⁴³ pseudodoctrinae huius luterinae, fragilis, carinalis et luteae.

Ecce, sicuti semper et priscis et recentioribus temporibus, Dei Ecclesia, quo fortes in fide stabilesque probentur et dinoscantur homines ab haeretico-rum sentibus, uti rosa inter spinas, nunquam libera fuit, sic et modo ab eis nequaquam immunis habetur. Quae enim tunc modo Cherintum, modo Arrium, modo Macedonium, modo Nestorium, modo Eutichium, modo Manicheum, modo Sabellium, Pellagium, Dioscorum, Iulianum, [A IIIv] Porphyrium et alios plurimos haeresiarchas in sui primordiis insectatores habuit³⁴⁴, et quae nuper Ioannem Hus, Ioannem Vicleff et Hieronymum Pragensem³⁴⁵, veluti tortuosos angues, iactata a Christo rege et duce nostro pacis et unitatis semina suo veneno inficere nitentes, perpessa est; nunc Luterum hunc, atque aspidem surdam, omni pietati, omni religioni, omni christianaे politiae, omni honestati, omni denique veritati adversantem, obturatisque aribus, pia sanctorum patrum instituta, sanam doctrinam, apostolicasque traditiones non audientem, experitur.

Rara quippe aetas fuit, qua impium aliquod et a vera aberrans religione dogma, uti cicuta olens, uti urtica pungens, in agro et vinea Domini, quo veri exerceantur ecclesiae agricolae, non assurrexerit suique cacumen extulerit ac sui sementem circumquaque sparserit. Sed quamquam eius (etiam ad caelum usque) superbia ascenderit et caput nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdita sunt. Gaudium enim hypocritae ad instar puncti est. Sicut enim et illi omnes, qui mane oriebantur, instar luciferi ceciderunt, exterminatique ad inferos descendere³⁴⁶, sic et Luterus is, permittente Deo, nunc ad proscindendam Christi Domini nostri inconsutilem tunicam vim suam et conatum vafre exercens, non degenerabit ab his, quos imitatur, christianaē tranquillitatis turbatoribus et miserabilium lictoribus ac peremptoribus. Profecto sua cuique dies, eritque dum fidelis populus de ipso, veluti de aliis factum est, decantabit Davidicum illud: Vidi impium superexaltatum et

³⁴³ Ephes. 3,14-18.

³⁴⁴ Cerynthus (I/II saec.) gnosticus; Arius (250-336) conditor arianismi; Macedonius epus Constantinopolitanus 342-360, conditor sectae arianae macedonianorum; Sabellius (c.a 220), auctor doctrinæ monarchianismi (iuxta quam pater et filius unum sunt); Pelagius (c.a 354-post 418), fundator pelagianismi; Dioscorus (+ 454), fautor Eutychetus monophysitae; Iulianus Apostata (331-363), imperator Romanus 361-363, et Porphyrius philosophus (234-post 301), auctor plurium librorum adversus christianos.

³⁴⁵ Ioannes Hus (1369-1415), Hieronymus a Praga (c.a 1365-1416) et Ioannes Wyclif (1330-1384), qui viam doctrinæ Lutheri immediate paraverunt, cfr. "Exurge Domine" (*Bullarium Romanum* V, p. 750).

³⁴⁶ Is. 14, 12.

elevatum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non erat; quaesivi eum, et non est inventus locus eius³⁴⁷.

Romana quippe ecclesia, christiani orbis magistra, omniumque christianorum universitatem virtute sua, beatissimo Petro apostolo divinitus tradita, praefferens, sicut nunquam fide et pietate errasse comperta est, adstipulante Christi pollicitatione: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos³⁴⁸, sic omnes haereses sola interemis in universo mundo, omnes a vera religione extorres veris docuit [A IVr] et stabilivit institutis, omniumque haeresiarcharum, omnium sublimium principum et superborum colla, aspirante Deo, propria virtute calcat³⁴⁹, ut semper adimpletum in ea sit propheticum illud: Venient ad te, qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum³⁵⁰. Veluti quippe navis illa in medio mari (instar dormientis, dissimulante domino) ventorum impetu, adversisque fluctibus pellitur, turbatur, peneque periclitari videatur³⁵¹, ut probentur spiritus, si ex Deo sunt, invoceturque, rogetur ac interpelletur Dominus: Exurge, quare dormis, Domine, exurge et ne repellas in finem³⁵². Verum nec haerесum aut schismatum turbine, nec mundanarum potestatum impetu fluctibusve frangitur, subiicitur, prosternitur, tanquam palma, quae quanto magis deprimitur, tanto exit robustior. Compertum est enim his omnibus, qui veras et pontificum et caesarum perlegere historias, romanam ecclesiam de omnibus, potentissimis etiam hostibus semper triumphasse.

Quid insolentius, rex piissime, quid insanus, quid dementius quam contra communem ritum, communem ordinem, cultumque pene universum religionis, pro vero ac sancto tanto temporis fluxu observatum, ac si quisquam more gigantium contra caelum omne bellum frustra insumat, quam ad unius hominis sententiam asserere christianam rem publicam a mille annis citra in tenebris et caecitatis umbra versatam esse et hucusque versari? Quid magis deridendum, quam quod quispiam (qui viri saltem nomen habeat) huius Luteri ambagibus et indoctis fabulis ac insanis traditionibus christianam aurem inclinet? Nam (ut tua ser.ma maiestas luculenter animadvertisit) non nisi agitatae vento arundines, non nisi scioli quidam et grammaticae, qui dum guttam aquae in bonis litteris ebiberunt, totum ferme mare potasse arbitrantur, non nisi quoddam vulgus ineptum, non nisi insanii, sive ecclesiastico statui ac romanae censurae ex potentioribus adversantes, Luteri scriptis oblectantur, applaudunt; et, si aperte probare non possint [A IVv] sagax

³⁴⁷ Ps. 36, 35-36.

³⁴⁸ Luc. 22, 32.

³⁴⁹ Deuter. 33, 29.

³⁵⁰ Is. 60, 14.

³⁵¹ Marc. 6, 45-52.

³⁵² Ps. 43, 23.

saltem eius esse ingenium recteque in clericorum mores invehi astruunt, et in alienis festucam, in suis trabem oculis non animadvertunt³⁵³.

Nam si in moribus ecclesiasticis quicquam reprehendendum erat, cur pontificem maximum, charitate permotus, cur non S.R.E. cardinales patres, apud quos ecclesiastica censura manet, non adiit, vel comiter ad eos sacerdotum vitam castigatione dignam esse (secreto saltem) non scripsit, potius quam famosis undique sparsis libellis, in ruinam et scandalum pusillorum sacerdotiique dedecus et indignitatem, illum apicem sacrum deturpare, mordere, lacerare³⁵⁴, quem magnus Constantinus, totius orbis imperator, in precio ita habuit, ut peccantem sacerdotem explicito pallio potius contegendum, ne ab aliquo perspiciatur, quam prodendum esse asseveraret³⁵⁵. Quum etiam nulla sit hodie principis curia, quae aequa taxari non possit ac emendatione non egeat (quum omnes pene declinaverint, inutiles facti sint)³⁵⁶, cur in Romanam tantummodo superbum verticem erexit, et sicuti serpens, linguam acuit et vibravit³⁵⁷?

Insuper et si contra abusus sacerdotum etiam in veniis palam et passim scribere non est veritus, cur saltem capiti illi sanctissimo pontificis maximi, veri Dei in terra vicarii, non pepercit, sed etiam, ut omnem ecclesiae principatum et monarchiam et ordinem confunderet et auferre niteretur, in Christum domini, quem solus ipse Deus iudicat, dolosa labia aperuit³⁵⁸? Venias et peccatorum remissiones ex Christi, Domini nostri, passione et morte, ac illa pro salute nostra uberrima sanguinis effusione, sanctorumque meritis, tam longa aetate et divina resurrectione et sanctorum patrum autoritate ab universa ecclesia (non modo ex latinis, verum etiam et graecis) observatas hactenus et sanctorum scripturarum testimonio assertas, quum dicat ille propheta regius: Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua³⁵⁹, negat, inficiatur, evacuare conatur, et quasi sanctorum communionem improbare non veretur.

Si abusum veniarum forte (quod aliquando ipsis patribus evenit, et cui semper sancti [A Vr] pontifices saluberrimis decretis occurtere nituntur) accusasset, tolerabilius quidem esset. Sed quis hoc ferre potest, ut iuxta apostolum, spiritualium sanctorum participes non simus³⁵⁹ et illam communicationem de ecclesia amoveamus, de qua scriptum est: Unxit te Deus tuus oleo

³⁵³ Matth. 7, 3-4.

³⁵⁴ Lutheri scripta *An den Christlichen Adel deutscher Nation: von des Christlichen standes beserung* (mense Augusto 1520 editum) et *Adversus execrabilem bullam Antichristi* (scriptam mense Octobri 1520) in mente habet.

³⁵⁵ Undenam Ferreri hanc assertionem hauserit, invenire non potui, certe non ex *Vita Constantini Eusebii Caesariensis*.

³⁵⁶ Ps. 52, 4.

³⁵⁷ Ps. 139, 3.

³⁵⁸ Cfr. scripta superius memorata ac etiam *De captivitate babylonica Ecclesiae praeludium*, editum 6 X 1520.

³⁵⁹ Ps. 118, 63.

laeticiae piae participibus tuis³⁶⁰. Et participes Christi effecti sumus, si initium substantiae eius usque in finem retineamus³⁶¹. Cur claves Petro, cur Petri successoribus ad aperiendum a Domino traditae sunt et claudendum, nisi ut ille sit spiritualis quoque thesauri in Christo et in sanctis fidelis dispensator, qui sponsae ecclesiae sponsus est, ut quodcumque solverit, quodcumque ligaverit (eodem teste) super terram, sit solutum, sit ligatum et in caelo³⁶², et per manus Petri eiusque successorum, Romanorum pontificum, ea gratia in omnes proveniat sacerdotes et christianos?

Sed quum intrandi longam hanc disceptationem coram hac tua celsitudine non sit praesentis temporis, Sigismunde, rex amplissime, illam ommittendam censuimus. Nam in die festo resurrectionis domini et regis nostri Iesu Christi, et in die agonis et passionis eius, ubi inter sacrificandum et divina obsequia, audiente maiestate tua, de hac re satis tractavimus³⁶³, tam haec, quam illa de Romani pontificis et S. Romanae Ecclesiae primatu, et alia eiusdem Luteri deliramenta doctissimorum patrum responsis (si response tantorum virorum digna erant) priusquam etiam Luterus genitus esset, satis superquam disiecta sunt; quamquam nonnulli, qui labiorum superficie sacras doctrinas vix attingere, eorum patrum responsa, quae rationali theologia ac speculationibus fulciuntur, exili ingenio et indocto capite non intelligentes, non capientes, vel forte spiritui sancto obicem facientes, taxare audeant et minime quadrare sua adstipulentur temeritate³⁶⁴. Quantum enim caecutientes ab ecclesiae matris ventre aberrent, satis liquet, satis faciliori et evidentiori argumento silentium sibi ipsis imponere possunt (postquam altiora non attingunt scientiarum acumina) dum, quae subiiciimus, naturali saltem iudicio librent et percontentur.

Sane [A Vv] si veras has esse tradiciones, quas omnis christiana universitas, afflante spiritu sancto, tam diu et de veniis et de primatu Romani pontificis, non humana sed divina autoritate firmato, ac de sacramentis Luterus forsan dubitavit, cur antequam scribebat et passim scripta ederet, suumque circumquaque venenum diffunderet, Romam non petiti, ex qua, cessante figura illa vetustiori et ea materiali Hierusalem diruta et evacuata, tanquam ex mystica fidelium arce Syon, lex exit et verbum Domini de Hierusalem³⁶⁵. Cur praeclaras omnium bonarum artium et divinarum doctrinarum universitates non adiit, et doctoribus, consummatisque viris suam hanc, seu ambiguitatem, seu sententiam non aperuit, cum eis non tractavit et privatim non disseruit³⁶⁶, antequam, elato supercilio et aperta facie, nova haec

³⁶⁰ Ps. 44, 8.

³⁶¹ Hebr. 3, 14.

³⁶² Matth. 16, 19.

³⁶³ Anno 1521 Parasceve Paschae et festum Resurrectionis Iesu Christi diebus 29 et 31 Martii celebrabantur.

³⁶⁴ Haustum ex prooemio bullae "Decet Romanum pontificem" (cfr. *Bullarium Romanum* V, p. 761).

³⁶⁵ Is. 2, 3.

³⁶⁶ Ad universitates se refert, quibus papa Leo X doctrinam Lutheri examinandam mandavit a. 1519; cfr. "Decet Romanum Pontificem" (*Bullarium Romanum* V, p. 763).

et perniciosa dogmata, excussis quotidie voluminibus, in publicum afferret? Cur ea, quae apud peritiores altiora et arcana sunt, et cibus fortior coram parvulis et insipientibus et undique vulgavit, nisi ut simplicissimum vulgus falleret, et caecus dux, caecos miserabiliter secum in perditionis foveam traheret et sepeliret³⁶⁷?

Ego ingenue profiteor Luterum hunc maiores sua vernacula, quam latina lingua errores seminasse. Quid denique tot tantaque in sanctos ecclesiae doctores, in Augustinum, in Hieronymum, in Gregorium, in Thomam Aquinatem, in omnes sacrorum theologorum coetus et magistros praestantissimos iactat convicia, maledicta et blasphemias manifestissimas, nisi tumidum pectus, nisi incompositam et lividam ac prorsus a deo alienam mentem argumentantur et probant, sane addendo quotidie mala malis, sacra paecepta, approbata concilia, patrumque dicta huc et illuc in suum erroneum sensum perperam intorquendo, vel etiam damnando, nonnulla ecclesiastica sacramenta detestando, ordinem christianum pene omnem confundendo et perturbando, spurcam sectam inducendo, et qui aliquando traditiones suas has abiuraverat, in recidivam cadendo, quid aliud paeferet, quam [AVIr] novum antichristum, quum dicat Ioannes apostolus, quoniam antichristi multi sunt³⁶⁸.

Sed quum ille postremus spiritu domini nostri Iesu Christi interficiendus sit, quid aliud expectandum est a nobis, quam ut et is (sicut et plures fuere) illius futuri praecursor infoelici et infausto fine damnetur, qui supra se tantummodo oriri solem, qui se unum lucem, reliquos vero omnes tenebras esse et densissimam caliginem arbitratur, petulantique animo et ore sacrilego profitetur? Utinam saperet, qui in oculis suis sapiens est, et intelligeret ac novissima paevideret³⁶⁹. Quod sane, si quis ita esse [sic] manifestius pendere cupiat vitam Luteri luteam, spurcam, immundam, crapulae et ebrietati deditam, spiritum vero superbum, arrogantem, lividum animum, mordacem linguam et iactabundam sibi proponat, quum ex hac mala arbore nullus bonae doctrinae sperari fructus possit. Quae syncera traditio e foedis moribus, quae spiritualitas in ecclesiam dei e carnali ac penitus terrestri consuetudine introduci potest? Quippe non inferior spiritualium et saecularium omnium statum ac vitam a bonis institutis et moribus illis candidioribus non parum declinasse, instaurationeque egere plurimum. Sed hanc non ab inferno, sed de caelo; non ab immundo et ambiciose homine, quem abominatur Dominus, sed a Christo et Christi membris purissimis sanctissimis quandoque futuram speramus, expectamus.

Quare, rex gloriosissime, tu, princeps christianissimus, edictum statue, et mox sancias ea Luteri scripta omnia, quae in regno tuo comperiunt, tanquam erronea et contagiosa, ignibus tradi, concremari, conflagrari, ab tuique

³⁶⁷ Matth. 15, 14 et Luc. 6, 39; cfr. prooemium bullae "Decet Romanum Pontificem" (*Bullarium Romanum* V, p. 761).

³⁶⁸ 1 Ioan. 2, 18.

³⁶⁹ Deuter. 32, 29.

regni limitibus perpetuo relegari interminarique, ne quispiam amodo seu venalia, seu quomodolibet perspicienda adducat teneatve, quoniam veneno conspersa sunt³⁷⁰. Nam vos reges, vos principes, parietes, columnae, robur, fortitudo ac lumen ecclesiae estis. Si eam destruere nitentibus non resistitis, quid de vobis Christi sponsa et mater vestra candidissima aliud gemens dictura est, quam illud Davidicum: Dereliquit me virtus mea et lumen oculi[A VI v]lorum meorum, et ipsum non est mecum³⁷¹. Vos quoque, sacratissimi antistesites, ut veri pastores, custodientes vigilias noctis supra gregem vestrum³⁷², pro vestra erga apostolicum solium veneratione, spiritualis militiae vestrae arma et censuras adhibere nequaquam praetermittatis³⁷³.

Et quoniam ad expellendum de plurimorum mentibus venenum id imbibitum haec tantummodo remedia non sufficiunt, sed opus est eos errores rationibus etiam refellere, sacrisque authoritatibus explodere, ancipitesque animos et forte eo morbo laesos reddere incolumes et curare, compellor ideo inter quotidianas curas, quibus premor, assiduosque pacis tractatus, quibus insudo, temporis intervallulum captare aliquod et cuicunque expetenti eas fallacias Luteri lutum esse et vasa figuli fragilia admodum, vinumque aqua perfusum, quod facillime corrumpitur, evidentius demonstrare. Dixi.

N. 45.

**Zacharias Ferreri
universis**

Toruniae, 9 IV 1521.

Mandatum imperatoris Caroli V, quo oratores suos ad dirimendam litem regis Poloniae cum magno magistro Alberto habitat, Coloniae Agrippinae, die 14 XI 1520 editum, transsumit et publici iuris facit.

Reg.: Warszawa, AGAD, Metr.Kor. 37 f. 131r-132r.

³⁷⁰ Cfr. bullas "Exurge Domine" et "Decet Romanum Pontificem" (*Bullarium Romanum* V, p. 753, 755, 761). Hic notandum est Ferrerium edidisse etiam *Edictum Ser.mi Principis et d.ni Sigismundi, Poloniae regis invictissimi, piissimi, contra Luteri damnata scripta* (Ferrerri OT f. [A6v]-B[1r]), 3 V 1520 emanatum, in quo tamen nulla fit mentio de his libris prohibitis comburendis (edictum hoc editum est etiam ex originali a Balzer III, p. 579-580 et 584).

³⁷¹ Ps. 37, 10.

³⁷² Luc. 2, 8.

³⁷³ Cfr. bullam "Decet Romanum Pontificem" (*Bullarium Romanum* V, p. 763).

Transsumptum mandati Oratorum Cesareae et Catholicae maiestatis.

Zacharias, Dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Gardiensis *etc. [ut in N. 31] [131v]* universis et singulis praesentes nostras inspecturis, lecturis pariterque audituris, salutem in domino et fidem indubiam adhiberi. Noverint universi et singuli, quod nos, Zacharias, Episcopus praefatus, habuimus, palpavimus, tenuimus in manibus et perlegimus, diligenterque perspeximus litteras infrascripti mandati ser.mi d.ni d.ni Caroli, divina favente clemencia electi Romanorum Imperatoris, semperque augusti etc., eius vero sigillo in cera rubra, cum cordula pergamenea, more in similibus suae Caesareae Maiestatis in pendenti signatas, sanas et integras, non viciatas, sed omnimoda suspicione carentes, in hunc tenorem, qui sequitur de verbo ad verbum:

Carolus, divina favente clementia, electus Romanorum Imperator semper augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Ierusalem, Hungariae, Dalmaciae, Croaciae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabanciae etc., Comes Habsburgi, Flandriae, Tirolis etc., recognoscimus et notum facimus, cum nostri potissimum officii esse ducamus, ut reipublicae christianaec ociun et quietem totis viribus procurare debeamus, quo tandem expedicio in Christi fidei hostes communibus armis atque animis commodius suscipi possit, et edocti sumus crudele bellum inter Ser.mum dominum principem Sigismundum, Regem Poloniae etc., fratrem et consanguinem nostrum charissimum ex una, et Ven.lem Albertum, magnum Magistrum Prussiae S. Mariae ordinis Theutonicorum principem et consanguineum nostrum charissimum ex altera partibus exortum esse, quod nos pro hoc bello sedando et extinguendo Oratores, Commissarios et Mandatarios nostros firmius constituimus, ordinavimus et deputavimus, et tenore praesencium constituimus, facimus et deputamus, nobilem, honorabilem, fidelem devotum, nobis dilectum Georgium de Rogendorff, Baronem in Mollenburg, Sebastianum Speravensem, praepositorum Brixinensem, ac Ioannem Muragi, Consiliarios nostros³⁷⁴, absentes tanquam praesentes, omnes simul vel duos aut unum eorum in solidum, specialiter et expresse, nostro nomine vices suas, tam apud ser.mum Regem Poloniae quam magnum Magistrum et alios quoscumque potentatus et principes interponendi et pacem sive inducias faciendi [132r] inter dictum Regem et magnum Magistrum; necnon, si opus fuerit, magnum Ducem Moscorum³⁷⁵ et quoscumque alios huius belli complices, et omnia atque singula, circa praemissa necessaria et opportuna, dicendi et agendi. Similiter ad inhibendum partibus, quatenus de iure possimus, ut arma deponant et per viam iusticiae discordias eorum dirimi paciantur; necnon etiam promittendi assistenciam, auxilium et favorem nostrum, et alia omnia faciendi, quae ipsi pro huiusmodi pace et inducias faciere pos-

³⁷⁴ Baro Georgius de Rogendorf-Mellenburg et Sebastianus Sprentz (Sperantius, † 1525, a 1 VII 1521 epus Brixensis) subscripsérunt, tanquam intermediarii, formulae compromissi, 5 IV 1521 Toreniae conclusi, cfr. Joachim-Hubatsch RHD II n. 4051.

³⁷⁵ Basilius III.

semus, si personaliter praesentes essemus, etiamsi talia forent, quae mandatum exigent magis speciale quam praesentibus est expressum; promittendi in verbo et fide Caesaris nos ratum, gratum et firmum perpetuo habituros omne id, quod etiam^{a)} per praefatos oratores nostros actum, factum, dictum, gestum, tractatum et promissum fuerit, harum testimonio litterarum, sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra Imperiali Colonia, die XIIIII mensis Novembris, anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo^{b)} primo, Regnorum nostrorum Romani secundo, aliorum vero omnium quinto.

Huic autem publico mandati transumpto^{c)}, ad instantiam Ser.mi principis et domini d.ni Sigismundi, dei gratia [regis Poloniae et] magni ducis Lithuaniae, nos per infrascriptum Notarium nostrum fieri mandavimus et colacionavimus, interposita auctoritate nostra, pariter et decreto decernimus, auctoritate apostolica nobis commissa et qua fungimur, eandem fidem, in iudicio et extra, ab omnibus et singulis debere adhiberi, quae ipsimet originali mandato sic transumpto adhiberetur et adhiberi deberet, si originaliter ostenderetur, appareret et produceretur. In quorum fidem praesentes literas per Notarium nostrum infrascriptum fieri, nostrique sigilli iussimus et fecimus appensione communiri³⁷⁶. Datum Thorunii, Culmensis dioecesis, V Idus Aprilis, pontificatus Ss.mi Domini Nostri Leonis papae decimi anno nono.

Visa et recognita.

Zacharias Epus Gardiensis
qui supra, manu propria.

Ambrosius Sculteti³⁷⁷

^{a)} *Adscriptum supra.*

^{b)} *Sequitur in ms. erronee additum: primo*

^{c)} *Sequitur signum illegibile.*

N. 46.

Relatio Zachariae Ferreri de librorum Lutheri concrematione

Toruniae, 14 IV 1521.

Narrat, quomodo Toruniae, 14 IV, omnia scripta Martini Lutheri, favente rege perquisita et comperta, ipsius mandato publice ibi combusta sint, praesente populo loci ac epis Ioanne Culmensi et Laurentio Camenecensi.

³⁷⁶ Transumptum hoc factum est (et in libro cancellariae regis Poloniae registratum), ut oratores imperatoris possent mandatum originale, quod petebant, secum auferre (cfr. Biskup WP, p. 453).

³⁷⁷ Ambrosius Sculteti, clericus dioecesis Culmensis, notarius epi Konopacki.

Ed: Ferreri OT, f. [B VIIr].

Publica concrematio librorum fratris Martini Luteri in Prussia
eiusdem Legati mandato

POST REDITUM eiusdem legati apostolici ex Lituania ad ser.um regem Poloniae, qui Thorunii in Prussia residebat, illius opera et interventu, regia favente manu, omnia scripta fratris Martini Luteri diligenter perquisita, et latino ac germanico idiomate copiose edita, comperta sunt. Demum secunda die solis post pascha³⁷⁸, praesente omni promiscui sexus Polonorum et Germanorum, aliarumque nationum populo, habitis ubique contra eius damnatos errores publicis contionibus et litteris apostolicis contra ipsos errores iterum promulgatis³⁷⁹, structo rogo, mandato legati, cum patre eorum diabolo terribiliter sunt concremata, adsistentibus Ioanne Culmensi³⁸⁰, cuius erat dioecesis, et Laurentio Camenecensi³⁸¹ pontificibus, ipso Laurentio antistite in hoc opere se admodum strenue et viriliter gerente³⁸².

N. 47.

**Zacharias Ferreri
Martino Lutero**

Toruniae, [circa 14 IV 1521].

Occasione arrepta redditus oratorum principum electorum imperii in Germaniam, eum per litteras edocet, quanto dolore se affecerit eius ab Ecclesia Romana defectio, monetque Deum Ecclesiam suam ab eo everti non esse passurum, sicut antea ab aliis everti passus non sit. Vocat eum flagellum Ecclesiae, superbiae et indocilitatis accusat et ad conversionem adhortatur, ultionem Divinam comminando.

Ed: Ferreri OT, f. B[Ir]-B IIIr. Documentum datam habet 20 V 1520, cum tamen in eius textu plures et indubiae referentiae ad bullam "Exurge Domine", 20 VI 1520 promulgatam, inveniantur, ideo tam ipsa datatio, quam etiam initialis mentio de oratorum principum electorum Germaniae Thorunia disces-

³⁷⁸ 14 Aprilis.

³⁷⁹ Videlicet bulla "Decet Romanum Pontificem".

³⁸⁰ Ioannes Konopacki (circa 1470-1530), epus Culmensis ab a. 1508.

³⁸¹ Laurentius Miedzyleski (ante 1480-1530), epus Camenecensis, recenter 13 III 1521, a pontifice confirmatus.

³⁸² Cfr. aliam relationem de hac re, ab Andrea Krzycki factam (Kórnik, BPAN, ms. 243 f. 283v).

su, falsae sunt, sicut et ipsa epistula nunquam Luthero missa fuisse videatur.
 - Reed.: Fijałek MFL, p. 377-380.

Zacharias episcopus Gardiensis Martino Lutero s[alutem] p[lurimam] d[icit].

Redeuntibus clarissimorum principum Sacri Romani Imperii electorum in Germaniam oratoribus³⁸³, Martine charissime, quorum in re Pruthenica consuetudine assidua usus sum, et cum quibus saepenumero de te sermonem habui, volui ad te scribere in spiritu charitatis et meas ad te illis litteras commendare. Ipsi enim testes sunt, quantum de tuo interitu dolui, quum praecipue unde tua errata primam habuerint originem narravere. Deum etiam ipsum testem habeo, quoties pro tua et populorum salute, quos tecum in praecipitium ducis, supplices orationes et lachrymas et sacrificium et hostiam obtulerim.

Velle, mi Martine, ut oculos aperires, saperesque et novissima provideres. Nec tibi hanc gloriam policeare, ut instar Dianaë Ephesiae templi christianam esse religionem et Sanctam Romanam Ecclesiam, quam possis everttere, arbitreris³⁸⁴. Ipsa enim non palustri in solo, non super carbones, aut lanae vellera (ut phanum illud erat), sed supra firmam petram ita aedificata est, ut portae etiam inferi, nec quicquam adversus eam praevaleant³⁸⁵. Velle, ut tibi aliquando proponeres eos, qui hoc idem tentare annixi sunt, et penes quos longe maior quam apud te humanarum ac divinarum litterarum peritia, authoritasque ac potentia viguit, frustra palestram hanc ingressos, frustra contra impetum fluvii conatum fecisse. Sed tradidit eos Deus in reprobum sensum, et erraverunt palpitantes in tenebris; et excaecavit eos adeo malitia eorum, ut in interitum deducti sint, evanuerint in cogitationibus suis³⁸⁶, et finis eorum confusio fuerit.

Nec mihi quisquam [B1v] persuadeat te ita vecordem esse, ut tuos errores non perpendas, quum apud eos, quibus scintilla saltem luminis est, ita manifesti sint, ut magis esse non possint. Sed hanc tibi (ut ex principiis, quae te ad id movere, animadvertis) gloriam inanem comparare, hanc in Sanctam Romanam Ecclesiam vindictam impudenter exercere pro virili tua aggressus es, ut novam sectam inducere et apostolicae sedi, quum libuit, te resistere potuisse passim ostendas. Verum, quum ita sit, nec Deum times, nec Deum credis, qui vindicta malorum est. Dixistique uti insipiens in corde tuo: non est Deus³⁸⁷. Sed, mi Martine, te hortor, te etiam per Iesum Christum, qui iudicaturus est vivos et mortuos, rogo et obsecro, ut, si te ita in fo-

³⁸³ Cfr. supra, annotationem 164. Discesserunt Torunia 23 V 1520, v. annotationem 181.

³⁸⁴ Celebre templum Ionicum Dianaë Ephesi combustum erat ab Hierostrate a. 356.

³⁸⁵ Matth. 16, 18.

³⁸⁶ Rom. 1, 21.

³⁸⁷ Ps. 52, 1.

veam mortis praecipitare omnino constituisti, misereare saltem eorum vulgarium animorum, quos quotidie tuo veneno inficis, necas, interimis et una tecum in perditionem trahis, quorum et sanguinem a te potatum, quorum vitam a te deglutitam de manu tua omnipotens ille et tremendus Author aliquando exiget et requiret.

Video iam te Sergium illum, tetterimum monachum, qui maumethicam [sic] sectam promovit³⁸⁸, effigiare. Video te iam ad aliud nihil, quam ad christianos sub maumethicas prophanas leges sensim alliciendum tendere et anhelare; ad regna perturbandum, ad pacem et unitatem scindendum, ad ordinem confundendum manibus ac pedibus niti et operam omnem navare.

Permittit Deus regnare hominem hypocritam propter peccata populi³⁸⁹. Sic nos Deus his interdum castigat flagellis, ut, praevaricatores, ad cor redeamus³⁹⁰. Sed si tu flagellum es, sit nomen Domini benedictum, dum nos hoc (quamvis malo instrumento) ad rectitudinem ducat, castigatosque efficiat Dominus, purget, probet et in igne adversitatis examinet, sicut probatur aurum et examinatur argentum³⁹¹, ut quandoque decantare possimus: Igne nos examinasti, Deus, et transivimus per ignem et aquam, et deduxisti nos in refrigerium³⁹². Sed, Martine, omnino instrumentum malum es. Per te conflans et emundans argentum, purgabit Dominus filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum. Et erunt offerentes Domino sacrificium in iusticia³⁹³. Illi purgabuntur, tu autem [B2r] idem ipse eris et in luto tuo (unde et cognomen recte adeptus es), in foeditate tua et in peccato tuo morieris. Ex luto et fimo et stercore, quibus sordida abluuntur indumenta, smigmata aliquando fiunt. Quid mirum si te etiam purgabimur, mundabimur, candidabimur? Utinam omnipotens Author effundat super nos aquam mundam³⁹⁴, aspergatque nos isopo et mundemur³⁹⁵.

Verum et si in locum tuum abiturus sis, auresque obtuderis et frontem perfricaveris, haud tamen desistam (quum praecipue vicina tibi in patria, apud serenissimum et pium Poloniae regem Sigismundum pro apostolica sede agens, de te tuaque hac secta pestifera quotidie nova intelligam), quin te ea charitate moneam, qua alter alteri debitores sumus, ut, Martine, oculos aperias, videoque quanto caecitatis baratro captivus detineris, qui tibi soli oriri solem, qui te solum esse diem, caeteros noctem arbitraris; qui nec eorum doctorum, quibus et munda vita et eminenti scientia longe impar es, irrefragabili sententiae, qui Parisiorum, qui Coloniensi, aliisque omnibus celebratissimis Italiae, Germaniae, Hispaniaeque universitatibus ce-

³⁸⁸ Monachus Armenus, qui - secundum antiquam traditionem - adiutorio esset Mahumeto in componentendo Corano.

³⁸⁹ Iob 34, 20.

³⁹⁰ Is. 46, 8.

³⁹¹ Ps. 65, 9.

³⁹² Ps. 65, 11.

³⁹³ Malach. 3, 3.

³⁹⁴ Ez. 36, 25.

³⁹⁵ Ps. 50, 9.

dere nequis³⁹⁶; qui beatissimi pontificis et Sanctae Romanae Ecclesiae sanctissimis contra te decretis ac sanctionibus³⁹⁷ (quibus obsistere summa perfidia et dementia est) protervum caput ac superbum verticem inclinare contemnis; qui christianam universitatem ab mille supra annis in tenebrarum caligine positam esse astruis; qui te meliorem, qui te doctiorem mortalibus cunctis dementissime iactare videris; qui omnes in arenam, omnes in pugnam vocas³⁹⁸.

Martine, aperi oculos et vide: non esse ingenuos homines, adeo hebetes, adeo ignavos, ut vafrum te esse (quamquam insipientem) non agnoscant, tuaque haec frivola futileaque dogmata probi et sapientes viri aperte non intelligent. Martine, aperi oculos et vide, quoniam haud nova sunt et a te solo excogitata, quae contra omnem Ecclesiam tua sententia proferre non videris, sed antiqua et ante atavos tuos ab aliis vetustioribus haereticis in campum adducta, demumque a vera religione explosa. Unde nihil agis aliud quam te [B2v] frustra experiri, si adhuc, quae alias a priscis patribus damnata et abolita sunt suscitare possis. An ignoras iam (antequam tu etiam in faemoore patris tui esses) singulas eas fallacias satis superque confutatas esse, indecensque fore et omnino improbum frustra et in cassum contra tuam hanc infamiam iterare responsa seu replicare, praecipue quia scriptum est: In malevolam animam non intrabit sapientia³⁹⁹. Iam execranda dogmata haec, et sacris authoritatibus et rationibus ab antiquo exclusa sunt. Cur in dubium iterum sunt revocanda?

Una est tuarum traditionum confutatio: quia malo prodiere principio, ab aemulatione invida et ab animo vindictae ostentationisque cupidio, ac ab eo patre diabolo, cuius invidia mors intravit in orbem terrarum. Tu, Martine, haec etiam non inficere, si saltem erubescere et meretriciam frontem depone incipias. Si insanum et simplicissimum vulgus, apud quod (Germano etiam idiomate) tuae haec, in tuam et ipsius perniciem, scripta passim per Germaniam diffudisti, non erubescis, erubescas saltem doctos et qui tui capit is calviciem detegere⁴⁰⁰ didicere, qui quanti faciendus es optime librant, ponderant, tuasque argutias intus et in cute norunt et aperte perspiciunt.

Clamat ignari fautores tui ad tecum decertandum omnes in theatrum, nullumque adhuc tuam sententiam refellere potuisse astraunt, iactantque undique⁴⁰¹. Vere ignari, quia non perlegere authores. Perlegant et intelligent, animadvertiscantque ea non egere confutatione, quae toties alias et tam manifeste, ut et caeci id videant, confutata et damnata sunt.

³⁹⁶ Excerptum ex bulla "Exurge Domine", in qua pontifex praecedentes sententias cardinalis legati Cajetani (1518) et dictarum universitatum (1519) in mentem revocat (cfr. *Bullarium Romanum* V, p. 750, 753).

³⁹⁷ Scilicet bullis "Exurge Domine" (15 VI 1520) et "Decet Romanum Pontificem" (3 I 1521).

³⁹⁸ Verisimiliter scriptum Lutheri *Adversus execrabilem bullam Antichristi* (cfr. supra, notam 354) in mente habet.

³⁹⁹ Sap. 1, 4.

⁴⁰⁰ Is. 22, 12.

⁴⁰¹ Vide praesertim libellos Udalrici a Hutten et aliorum, anni 1520 decursu diffusos.

Dolebis forte, quod te, Martine, pungam et acuto stimulo urgeam. Sed recordare quia scriptum est: Arguet me iustus in misericordia et increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum⁴⁰², et: Quoniam melior est manifesta correptio, quam fraudulenta oscula odientis⁴⁰³. Coram omnibus peccasti, coram omnibus arguendus es. Nullus te ad seducendum populos impulit aut provocavit, tu autem omnium christianorum in te et animos et manus et Deum ipsum concitasti, ut de te illud recte dici possit: [B3r] Manus eius contra omnes et manus omnium contra eum.

Suspicio, quod non aequo feres animo ea, quae ex Christi charitate loqui compellor. Expectoque ut, sicuti caeteros omnes affecisti hactenus conviciis et probriis, ita me quoque afficias, et in me iam et tua et tuorum aemulatorum lingua acuatur, furor exardescat et acerrimum odium nutriatur. Sed quis nos separabit a charitate Christi⁴⁰⁴, tune, Martine, aut aemulatorum tuorum quispiam? Absit. Quin nec mors, nec vita (minare tu, minentur et asseclae tui ipsum etiam interitum) nos separabit a Christo. Transibimus per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces⁴⁰⁵, ibimusque gaudentes cum apostolis a conspectu concilii, quod digni habiti simus pro nomine Iesu contumeliam pati⁴⁰⁶. Obloquantur, detrahant et maledicant veritatis inimici, insidias parent, ego dicam cum David: Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa, et ab homine iniquo et doloso eripe me⁴⁰⁷, et a scandalis operantium iniquitatem⁴⁰⁸. Quippe nec desistam, ut de lacu miseriae et de luto faecis⁴⁰⁹ ad paenitentiam te revocem, exhorterque iterum atque iterum, Martine charissime, ut statuat Dominus supra petram pedes tuos⁴¹⁰. Memor esto unde excideris et age paenitentiam⁴¹¹, ne secundum duritiam tuam et impaenitens cor tuum thesaurizes tibi iram in die irae⁴¹². Et quamquam peccatum tuum maximum sit, horrendum et pene inexpiable, memento tamen quoniam abyssus abyssum invocat⁴¹³, abyssus peccati abyssum invocat miserationis, quoniam miserationes Domini super omnia opera eius⁴¹⁴. Vale in Christo.

Datum Thorunii in Prussia, XIII Kalendas Iunias, Anno millesimo quingentesimo vigesimo⁴¹⁵.

⁴⁰² Ps. 140, 5-6.

⁴⁰³ Prov. 27, 5-6.

⁴⁰⁴ Rom. 8, 35.

⁴⁰⁵ 2 Cor. 6, 8.

⁴⁰⁶ Act. 5, 41.

⁴⁰⁷ Ps. 119, 2.

⁴⁰⁸ Ps. 140, 9.

⁴⁰⁹ Ps. 39, 2.

⁴¹⁰ Continuatio Ps. 39, 2.

⁴¹¹ Apoc. 2, 5.

⁴¹² Rom. 2, 5.

⁴¹³ Ps. 41, 8.

⁴¹⁴ Ps. 144, 9, cfr. bullam "Exurge Domine" (*Bullarium Romanum* V, p. 755).

⁴¹⁵ De hac datatione v. supra, notam editorialem.

N. 48.

Zacharias Ferreri
concionatoribus Poloniae et Lithuaniae

[Toruniae, post 14 IV 1521].

Publicatis bullis doctrinae condemnationem et excommunicationem Martini Lutheri continentibus, invitat eos, ne praedicatione sua errores eius confutare praetermittant. Demonstrat, adversus assertiones eius, Romae non tantum virtia, sed etiam plurima opera pia et virtutes florescere.

Ed.: Ferreri OT, f. B IIIr-v. Scriptum hoc confectum esse videtur tempore, quo etiam praecedens editum est, ut ex repetitis in ambobus passibus constat.

Zacharias epus Gardiensis sacris concionatoribus in Polonia, Lituania, Russia ac Prussia constitutis, s[alutem] p[lurimam] d[icit].

Articuli erronei, perniciosi et scandalosi fratris Martini Luteri, damnati a Ss.mo domino nostro, d.no Leone decimo, pontifice maximo, de suorum fratribus S.R.E. Cardinalium consilio⁴¹⁶, necnon declarati haereseos sordibus conspersi et pestiferi ab clarissimis Coloniensi et Lovaniensi in Germania, ac Parisiensi in Gallia et aliis praecipuis circumquaque per [B IIIv] orbem christianum universitatibus⁴¹⁷, explicantur litteris apostolicis eiusdem Sanctissimi domini nostri (quae et passim editae sunt)⁴¹⁸, quosque et alias demum execrabiliores de sacramentis Ecclesiae evomerit⁴¹⁹. Quos omnes, mihi frater, tanquam basiliscum abhorrendos doceas. Incautam enim mentem et indoctum pectus mox suo veneno inficiunt et infoelicem animum necant.

Cogita, quod bono exitu claudi non possunt, quae malo sunt inchoata principio. Unde perniciem et luem hanc inter Dei populum diffundendi dolosam Luterus occasionem sumpserit, toti pene Germaniae (probris potissimum viris) notum est, vulgo tantum ignotum, quod, effusis Germano idiomatice codicillis, ad macellum mortis ignarum adducit. Sed quum Germania inclyta, catholicae pietatis et religionis assertrix constantissima ac sanctae apostolicae sedis Sanctaeque Romanae Ecclesiae observantissima semper fuerit⁴²⁰, non diutius hanc pestem ferre poterit, sed et Luterum et luterinos

⁴¹⁶ Illa, quae in bulla "Exurge Domine" ponenda erant, disputabantur in 4 consistoriis, a 21 V usque ad 1 VI 1520.

⁴¹⁷ Cfr. supra, N. 44 (nota 366) et N. 47 (nota 396).

⁴¹⁸ Bulla "Decet Romanum Pontificem", 3 I 1521 publicata, in qua praecedens bulla "Exurge Domine" inclusa inventur.

⁴¹⁹ Scriptum *De captivitate babylonica Ecclesiae*, editum mense Octobri 1520, cfr. supra, notam 358.

⁴²⁰ Cfr. "Exurge Domine" (*Bullarium Romanum* V, p. 753).

quosque ipsamet ex eo sui angulo, ubi modo degunt, explodet, condignamque poenam luere, aspirante Christo, efficiet.

Mi frater, vis Luteri luteum et veneno plenum pectus lucide agnoscere? Aperi oculos et vide, quantum in Romanam invehitur Ecclesiam, malos tantum quorundam mores recensens, et bonos et candidos plurimorum subticens⁴²¹. Quod Romae cupidi, mali, pessimi, inique homines multi et copioso numero sint; quod Romae nepharia etiam patrentur crimina, sicut et ubique terrarum contingit; quod Romae scelestissimi homines, sicut in aliis orbis urbibus existant, quis negat, quis ignorat. Ecclesia enim Dei per arcum illam patriarchae Noe, in qua et munda et immunda animalia erant, praefigurata est⁴²², quoniam et boni et mali (et monstra etiam) habitant in ea. Ergo Ecclesia Dei ob id mala est, damnanda est? Ergo duodecim apostolorum coetus, quod in eo unus diabolus esset⁴²³, culpandus est? Ergo domus Abraam propter servum et ancillam, quos eiici praeceperat Dominus⁴²⁴, execranda est? Ergo omne triticum malum exurendum, quia zizania in eo est?⁴²⁵ Absit. Sed satis quod omnipotens Author suo tempore separabit bonos a malis et segregabit agnos ab haedis⁴²⁶.

Sed, mi frater, dum Romana peccata a Lutero audis, audi et a veritate, quae omnia vincit, Romana merita: probitatem, virtutes ingenuas, quae quotidie ibi cernuntur, sanctissima opera, quae quotidie ibi fiunt. In maxima urbe, in maximo populo mala multa et bona multa, mali plurimi et boni plurimi semper. Propone tibi pontifices sanctissimos, cardinales patres celebratissimos, sacerdotes candidissimos, viros moratissimos, matronas christianissimas, mundissimas, quibus omnibus (etiam nunc) longe magis Roma affluit. Pensitato, quot pauperes, quot egenos Roma alit, Roma nutrit; quot de virtute benemeritos Roma ad magistratum provehit, quantum etiam virtutes fovet. Cogita tot xenodochia, tot advenarum, miserorum, infirmorum hospitia, receptacula; ubi et pontifices et magni sacerdotes et viri amplissimi aegris ipsis, ulceribus etiam undique confectis, tam devote, tam iucunde obsequuntur et famulantur.

Haec omnia et alia plurima, quae memorare longum esset, si, mi frater, aspicias, non inficiaberis longe maiora Romae bona quam mala inveniri, recteque, quum ex Petri sede et Christi vicario et sanctorum martyrum inibi fuso sanguine ac ossibus sanctissimis, tum ex tot, quae Romae clare perpenduntur, virtutum officiis, Romam magis nitidam quam immundam sanctamque non ab re appellari.

⁴²¹ Recenset hic supradictum scriptum Lutheri *Adversus execrabilem bullam Antichristi*, cfr. supra, notas 354, 398.

⁴²² Cfr. Gen., cap. 7.

⁴²³ Scilicet Iudas Iscariotes.

⁴²⁴ Gen. 21, 10-12.

⁴²⁵ Matth. 13, 25-40.

⁴²⁶ Matth. 25, 32.

Zacharias Ferreri
rectori ecclesiae parochialis in Proszowice

Cracoviae, 19 V 1521.

Ad supplicationem Ioannis Sacrani, canonici et rectoris Universitatis Cracoviensis, permittit rectori ecclesiae parochialis in Proszowice, ut processiones fiant in diebus festivis Resurrectionis DNIC, Pentecostes, Assumptionis BMV et sanctorum Nicetae ac Hieronymi ex ecclesia parochiali Sancti Spiritus ad hospitale huius loci, et impertit omnibus christifidelibus confessis, his processonibus devote assistentibus, indulgentiam 10 annorum et totidem quadragenarum.

Or.: Kraków, AUJ, Dokumenty pergaminowe [Documenta membranea] (sub data). Subtus alia manu: "[D...] de Mandato. Visa" In dorso: "R[egistra]ta apud Rev.dum dominum". Membrana in parte superiore textus et in margine inferiore abrupta (v. facsimile in p. 2). Sigillum subappensum deest.

ZACHARIAS, DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS GARDIENSIS, Sanctissimi etc. *[ut in N. 38]*, universis et singulis p[raesentes litteras] inspecturis, salutem.

Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabili serviatur, de abundantia [sic] suae pietatis, quae merita sup[plicum excedunt et vota], servantibus sibi bona multo maiora retribuat, quam valent promereri, desiderantes tamen reddere domino populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ip[sos]idem et quasi quibusdam alliectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinae gratiae acceptiores. Cum itaque dilectu[s nobis filius, ve]nerabilis Ioannes Sacranus, Canonicus ecclesiae et Rector Universitatis Cracoviensis⁴²⁷, nobis humiliter supplicaverit, quatenus in diebus festis Resurrectionis dominicae, Pente[costes] a[et]b[is] ecclesia parochiali ad hospitale processiones accedant; item in diebus festis Assumptionis gloriosae virginis Mariae, Nicetae Martyris pridie idus Novemb[ris]⁴²⁸ et Hieron[ymi pres]byteri et confessoris⁴²⁹, in primis vesperis et summis missis

⁴²⁷ Ioannes de Oświęcim (circa 1443-1527), dictus Sacranus, rector universitatis Cracoviensis annis 1493-1495, 1512-1513 et 1521, canonicus plurium ecclesiarum cathedralium et collegiarum, parochus et fundator hospitalis in Proszowice.

⁴²⁸ 12 Novemb[ris].

⁴²⁹ Celebratio liturgica die 30 Septemb[ris].

eiusdem ecclesiae sive hospitalis in Proshowicze⁴³⁰, tituli Sancti Spiritus, dioecesis Cracoviensis, rector vel pro eo agens per anni circulum processionaliter cum Sanctissimo corpore Domini nostri Iesu Christi accedere posset, dignaremur,

Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictae ecclesiae rectori vel pro eo agenti, ut in eisdem festivitatibus processionem ad ipsum hospitale de dicta ecclesia in eisdem vesperis vel summis missis, cum tota christifidelium multitudine, ad eam recurrentium cum luminaribus et aliis insignibus, iuxta ritum et consuetudinem ipsius ecclesiae deferri solitis et consuetis, cum Sanctissimo corpore Domini nostri Iesu Christi, reverenter, ut decet, procedere possint et valeant; eisdemque christifidelibus, vere penitentibus et confessis, huiusmodi processioni devote assistantibus, manusque adiutrices porrigentibus pro instauratione ipsius hospitalis eisdem quinque festivitatibus, de Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, decem annos de vera indulgentia et totidem quadragenas perpetuis futuris temporibus, auctoritate apostolica^{a)} nobis concessa et qua fungimur, de speciali dono gratiae, tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus, quae Ss. mus dominus noster in facultatibus nobis concessis voluit non obstare, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem praesentes litteras per Secretarium nostrum fieri nostrique sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum Cracoviae, anno ab incarnatione domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo primo, Quartodecimo Kalendas Iulii, Pontificatus praefati Ss. mi domini nostri Papae anno nono.

Ioannes N[otarius] Reverendissimi

^{a)} *In ms.: apostolici*

N. 50.

**Zacharias Ferreri
rectoribus ecclesiae parochialis in Zator**

Cracoviae, 22 VI 1521.

Approbat "errectionem altaris Sanctae Crucis, a presbiteris Fraternitatis Ecclesiae Parochialis et Hospitalis Sanctae Crucis in Zathor factam, [et] facultatem concedit quasdam processiones peragendi cum Sacratissimo Cor-

⁴³⁰ Proszowice, oppidum prope Cracoviam; paroecia illius loci erat iurispatronatus universitatis Cracoviensis.

pore Christi, easque comitantibus concedit 10 annos et 10 quadragenas indulgentiarum. Datum Cracoviae, 10 Calendas Iulii, anno 1521".

Or.: olim in archivio ecclesiae parochialis in Zator. Nota ut supra, manu I. Garampi facta, qui a. 1772 scripsit: "Apud ecclesiam parrochialem Zatoriensem in dioecesi Cracoviensi legi egomet diploma, quo Zacharias noster approbavit etc." (AV, F.Garampi, ms. 23 f. 59r).

N. 51.

**Zacharias Ferreri
monialibus conventus S. Agnetis Stradomiae**

Cracoviae, 26 VI 1521.

A monialibus conventus S. Agnetis in Stradom ad Cracoviam rogatus, impertit omnibus christifidelibus confessis, qui in festo S. Ioannis Baptiste, Annuntiationis B. Mariae Virginis, S. Agnetis, S. Bernardini Senensis et S. Francisci Assisiensis earum ecclesiam S. Agnetis visitent et aliquam eleemosynam pro illius conservatione offerant, indulgentiam 10 annorum et totidem quadragenarum.

Or.: Kraków, AKSB, Diplomata membranea (sub data), sigillum cereum appensum. Subtus: "Ioannes, notarius Rev.mi" et in plicatura: "Mathias Perzynsky", in dorso vero: "Registrata apud Rev.mum dominum".
-Ed.: Gustaw-Kaczmarczyk, p. 16 (summarium).

N. 52.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Zachariae Ferreri**

Cracoviae, 27 VI 1521.

Memor meritorum eius in promovendo processu canonisationis beati Casimiri et sua cum Alberto, ordinis Theutonicorum magno magistro, conciliationis, concedit ei, eius fratribus eorumque liberis utriusque sexus medium partem armorum regiorum, scilicet albae aquilae coronatae, in campo rubeo posita, armis gentis Ferreriorum, nigro leoni erecto et coronato, in campo aureo posito, addendorum.

Reg.: Warszawa, AGAD, Metr.Kor. 37 f. 203v-204r.

Rev.mo d.no Zachariae, epo Gardiensi,
Sanctae sedis apostolicae oratori et legato, armorum additio

Sigismundus, Dei gracia Rex Poloniae etc. Memoriae commendamus sempiternae, tenore praesencium significans, quod etsi deceat maiestatem regiam, ut circumquaque aciem consideracionis suaे dirigens, quos promerri digne animadvertisit, singulari gracia afficiat, illos tamen merito amplioris graciea praerogativa dignos esse censeat, quos non solum praecepis virtutum insigniis decoravit altissimus, sed etiam qui inconcussa fide et obser- vancia erga nos et Regnum nostrum nonnihil [sic] praestellare nituntur.

Hinc est, quod Rev.mus in Christo pater, d.nus Zacharias etc. Ferrerius, Vincencius [sic]⁴³¹, epus Gardiensis, Ss.mi d.ni papae praelatus domesticus et referendarius, legalis [sic] de latere nuncius et orator, nulli labori, nulli operaе, nullis vigiliis, nullis denique sudoribus, quantumvis laboriosissimis, parcendo, circa inquisitionem de vita et miraculis clarissimae memoriae Casimiri, fratris nostri germani desideratissimi, laboravit, ut non vanam spem ostenderit terciogeniti, quin Cathalogo sanctorum adscribi et inter sanctos referri debeat. Praeterea ita diligenter, ita accurate nomine Ss.mi domini nostri apud nos egit, unacum aliis oratoribus Sacrae Cesareae et Catholicae Maiestatis⁴³² et Ser.mi d.ni Hungariae et Boemiae etc. regis, nepotis nostri amantissimi⁴³³, donec arma deponeremus, quae contra Illustrem dominum Magistrum⁴³⁴ et suum ordinem [204r] in Prussia pro tuendis iuribus et finibus Regni nostri, proque vindicandis iniuriis et damnis, ab eodem d.no Magistro et ordine indignissime illatis, inviti susceperamus; sitque in omnibus de nobis et regno nostro benemeritus.

Horum nos rationem habentes, plurimum cogimur esse solliciti, quo potissimum pacto eius meritis respondeamus, ut a nobis iam iam discessurus, apud reliquas nationes, et praecepue apud sanctam sedem apostolicam et Rev.mos d.nos Cardinales, signo quopiam nostrae in eum gratitudinis et benevolenciae apparere possit exornatus. Scientes itaque nobilissimam familiam eius, non modo vetustate insignem, sed pulcherrimis [sic] virtutum exercitiis in omni genere praestitis, ex qua, ut accepimus, insignes pontifices et cardinales, necnon sanctus Vincencius ordinis prædicatorum oriundi fuerunt⁴³⁵.

⁴³¹ Recte: Vicetus.

⁴³² Carolus V.

⁴³³ Ludovicus II Iagellonides.

⁴³⁴ Albertus Hohenzollern.

⁴³⁵ Haec sunt verisimiliter ab ipso Ferrerio excogitata, non sunt tamen vera, nam de mediocri familia Ferreriorum Vicetina nescimus an aliqui episcopi oriundi essent, sanctus vero Vincentius Ferrer (1350-1419), Hispanus, nullo certo sanguinis vinculo cum eis iunctus erat.

Motu igitur proprio, animo deliberato, ex certa sciencia et benignitate nostra ad arma eius paterna et avita, quae de Ferreriis dicuntur, et quae nigrum leonem erectum [sic], coronatum, in scuto et campo aureo ferre sole[n]t, hoc nostrum additamentum, ornamentum et redimiculum, in signum et pigminus perpetui erga illum nostri amoris et benivolentiae, dimidiam aquillam [sic] albam in campo rubeo, coronatam, quam leo, in eodem scuto erectus, respiciet, sicut hic arte pictoria expressum intueri licet, auctoritate nostra regia, quae ad hoc maxima est, eidem Rev.mo d.no Episcopo et suis fratribus, de eisdem armis et familia existentibus, sanguine iunctis, eorumque liberis, natis et nascituris, utriusque sexus, deditus et apposuimus, damusque et apponimus harum litterarum serie. Quod insigne ipse d.nus Zacharias cum suis fratribus et eorum liberis sexus utriusque habeant, deferant, illaque nostra insignia et arma sua antiqua in omnibus et singulis honestis decentibusque expedicionibus, tam serio quam ioco, in torneamentis, papilionibus, hastiludiis, bellis, duellis, singulari certamine et quibuscumque certaminibus, vexillis, tentoriis castri, sepulturis, sigillis, signetis, monumentis, anulis [sic], aedificiis, suppellectili et aliis in locis omnibus, iuxta eius et suorum fratrū eorumque liberorum exigentem voluntatem et desiderium, uti fruique possint et valeant, citra preiudicium et nocumentum armorum ipsorum antiquorum, ita ut per hec nulla unquam fiat separacio vel divisio ab armis eius antiquis fratribus et patruis ex armis eiusdem ortis et oriundis.

In cuius rei testimonium etc. Actum Cracoviae, feria quarta proxima post festum Sancti Ioannis Baptiste, anno domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, Regni vero nostri anno decimo quinto.

V[...]^{a)} eiusdem ut supra.

^{a)} *Illegibile.*

N. 53.

Zachariae Ferreri ex Polonia abeuntis ad Sigismundum I regem oratio

[Cracoviae, ante 28 VI 1521].

Petit licentiam abeundi, gratias agit pro omnibus beneficiis obtentis, nunquam se eum et Poloniā ac Lituaniā oblivioni daturum spondet ac ad defendendam religionem catholicam adversus Lutheri doctrinam eum hortatur.

Ed: Ferreri OT, f. B VIIIv-B IXr. In f. B VIIv praemittitur: "Legatus apostolicus, Pruthenicis rebus compositis, petit a Ser.mo Rege Poloniae Sigismundo se absvoli et in Urbem ad pontificem maximum redditum sibi parari, agitque

gratias de susceptis officiis". In fine f. B IXr, immediate post textum orationis, invenitur nota de integri operis Ferrerii impressione, quae etiam datam "ante quam" continere videtur compositionis istius orationis: "Apud Ioannem Haller, in Regia Urbe Cracovia, III Kalendas Iulias, Anno a salutifero partu M.D.XXI., regni Ser.mi domini nostri d.ni Sigismundi, Poloniae regis invictissimi, et magni ducis Lituaniae Anno XV".

POSTQUAM eam, quae a beatissimo pontifice meis humeris imposita est, sarcinam e longingua regione ad constitutum locum, favente Christo, tulii, Sigismunde rex et princeps religiosissime, postremumque certamen certavi, cursum consummavi⁴³⁶, iam a tua sublimi maiestate absolvvi et ad illos apostolicos pedes, a quibus ad te digressus sum, mihi annui redditum enixe imploro. Iam enim secundum legationis annum ago, Romamque revisendi sese aptissimum tempus offert, iterque se accommodum ostendit.

Corporea hac, qua cernis, rex amplissime, forma abiturus, animi mei di midium penes tuam regiam celsitudinem, penes inclytum et piissimum regnum tuum hic relinqu; cui quum ex maximo erga me meritorum cumulo, tum ex praecipua illa religione erga Deum et innata erga apostolicam sedem observatione ita afficio, ita addictus sum, ita me obnoxium devictumque fateor, ut maiestatem tuam ser.mam nusquam, Poloniam nusquam, Lituaniam nusquam oblivioni daturus sim, nusquamque meo pectore decidere possint. Ago gratias tantae erga beatissimum pontificem et Sanctam Romanam Ecclesiam venerationi supplicique obedientiae. Ago gratias tantae erga me benvolentiae, charitati, humanitati, munificentiaeque tuae totiusque regni tui, Sigismunde gloriosissime, quibus illud evangelicum Christi verbum ingenue observatum est: Quicunque (puerum etiam) suscepit in nomine meo, me suscipit, et quicunque me suscepit, non me suscipit, sed eum, qui me misit⁴³⁷. Sic enim et Helissaeus propheta ille mirificus ad suscitandum puerum mulieris Sunamitis baculum, quem manibus gestabat, misit, ut non hominem tantum, sed et stipitem aliquando pro mittentis autoritate venerabundi suscipiamus.

Christiana religionis normam et catholicam christianorum unitatem, quam profiteris, sanctaeque apostolicae sedis culmen, cui progenitores tui tuque hactenus semper regium verticem inclinastis, cordi tuo affigas, iterum precor atque iterum obsecro. In qua re tanto efficacius de tua summa pietate testimonium dabis, quanto e tuo regno (sicuti caepisti)⁴³⁸ luterina contagia longe abesse tua manu regia ardentius effeceris. Nihil enim Deo [B IXr] gratius, nihil rei christiana utilius, nihil sublimius, tuaeque serenitati ac posteritati tuae salubrius celebriusque hac tempestate agere potes, quam ut

⁴³⁶ Cfr. 2 Tim. 4, 7.

⁴³⁷ Marc. 9, 35.

⁴³⁸ Decreti meminit regii de libris Lutheranis in Poloniam non inferendis, cfr. supra, annotationem 370.

regnum tuum tuaeque ditionis terras omnes ab hac pestilentissima lue omni nixu immunem reddas et serves, devotionemque illam maximam, qua sanctissimum Christi in terris vicarium Petriique successorem beatissimum hucusque semper prosecutus es, illibatam constantissimamque in finem usque teneas. Haec sunt illa munera, princeps invictissime, haec sunt illa dona, quae si mihi hoc in meo a tua maiestate recessu polliceare et praebeas uti cunctis opibus praeciosiora et suscepturus et habeo. Vale foelix.

N. 54.

**Zacharias Ferreri
Hadriano VI, pontifici maximo**

Faventiae, 31 VIII 1522.

Profert opinionem suam de corruptis moribus sacerdotum in Polonia, quos tempore legationis sua videre potuit; operam suam in iis reformatiis et regis Sigismundi I in Lutherana doctrina debellanda commendat.

Ed.: Ferreri RES, fragmentum ad Poloniam spectans in f. A5r-v.
- Reed.: Schweitzer CT XII, p. 24.

[*Praemisso gaudio suo ob Hadriani VI electionem, se sperare scribit eum veram Ecclesiae, et praesertim vitae sacerdotum, reformationem aggressurum.*] Mihi quidem infoeliici sacerdoti, dum legationem sarmaticam agerem, audivisse vidisseque contigit, quae non modo dicere, verum et cogitare erubesco, de nobis sacerdotibus, qui manducamus panem doloris⁴³⁹, qui abrasum verticem, bicornem infulam et candidissimum linum frustra gestamus, qui eum habitum, ea insignia, quae mundi huius contemptum, quae mentis mundiciam, quae sanam doctrinam⁴⁴⁰, ipsiusque integritatis apicem in nobis praeferunt, non ad spiritum, qui vivificat, sed ad litteram, quae occidit⁴⁴¹, transstulimus. Hoc me acrioribus stimulis ad scribendum, et ne sim canis mutus, ad latrandum pro domo domini compellit⁴⁴². Vereor enim, ne obscuratum sit aurum, mutatus sit color optimus ac dispersi sint lapides sanctuarii in ca-

⁴³⁹ Ps. 126, 2.

⁴⁴⁰ 2 Tim. 4, 3.

⁴⁴¹ 2 Cor. 3, 6.

⁴⁴² Cfr. Is. 56, 10.

pite omnium platearum⁴⁴³; et sicut populus, sic et sacerdos. Hinc oriuntur schismata, hinc haereses, hinc scandala in ecclesia Dei; nec grex pastoribus, nec pontificibus principes parent, nec sacerdotes veneratur populus. Hinc ex eunt monstra immundaque animalia, aper de sylva et singularis ferus ad depascendum vineam Domini Sabaoth⁴⁴⁴. Hinc aperuit et in coelum posuit luteum os suum impia bellua, Martinus Luterus, vipereaque [A5v] cauda, sequela suorum, magnam partem stellarum in Germania, in Sarmatia, in Pannonia detraxit in terram⁴⁴⁵.

Id ego ipse his oculis perspexi, quum immenso propemodum labore erroreas traditiones illas, quae plurimorum mentes infecerant, e Sarmatia et ex contigua, quae Regno Poloniae adiacet, Germania vix eliminare potui. Testis est Dominus, cuius oculis omnia nuda et aperta sunt⁴⁴⁶, quantum contra portentum hoc reluctari oportuit, quibusve vitae periculis pro ea peste procul eiicienda a me insudatum et decertatum est. Benedictus autem Deus, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum⁴⁴⁷, benedictum quoque nomen maiestatis eius⁴⁴⁸ in servo suo Sigismundo, Sarmatiae rege religiosissimo, invictissimo, qui uti columna solida in templo domini⁴⁴⁹, nullis undique, ut dogma illud luterinum et luteum per regnum tacitus divagari sineret aut toleraret, malorum hominum verti concutique persuasionibus potuit. At, sicut christianissimo principi par erat, vallum pro religionis synceritate se fecit et scutum pro Sancta Romana Ecclesia se opposuit. *[Continuat disserere de vita ac moribus cleri et Urbis reformandis, de principibus christianis conciliandis et adversus Turcas movendis. Laudat Faventiam eiusque populi mores, qui reformationem non indigent].* Datum Faventiae, pridie Calendas Septembbris 1522.

N. 55.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Achilli de Grassis, regni Poloniae protectori**

[Cracoviae, initio Ianuarii 1523].

Rettulit, quomodo anno superiore Vilnae ad notitiam eius pervenerit nuntium Ferreri iniquam sententiam pro pecunia in favorem Bernardinorum tu-

⁴⁴³ Thren. 4, 1.

⁴⁴⁴ Ps. 79, 14.

⁴⁴⁵ Paraphrasis Apoc. 12, 4.

⁴⁴⁶ Hebr. 4, 13.

⁴⁴⁷ 1 Cor. 15, 57.

⁴⁴⁸ Ps. 71, 19.

⁴⁴⁹ Apoc. 3, 12.

lissee iuri regio contrariam. Petit, ut lis, in Curiam Romanam devoluta, ab aepo Gnesnensi decernatur.

Cop. coaeva: Warszawa, AGAD, Sucha 22/32, p. 668.

Cardinali Protectori⁴⁵⁰

Rev.me in Christo Pater etc. Cum essemus anno superiore in Lithuania⁴⁵¹, cumprimis pleraque, quod nunquam credidissemus, facta illic Rev.di Episcopi Gardiensis, legati tunc apostolici, indignissima, quae nobis magnam admirationem attulerunt, et quae malum, ut ab illis potius isthic Romae quam a nobis innotescant. Verum, quod ad iudicium nostrum adductum erat de data per illum utriusque parti contraria sententia pro pecunia hic inde accepta ratione nonnullius depositi apud fratres Bernardinos, precii et momenti non vulgaris, reservando in una sententia commissionem nostram, ex qua tota causa pendebat in robore suo, in altera simpliciter illos fratres absolvendo⁴⁵². Licet intelligamus, quid a nobis facto opus foret, tamen scientes ipsos fratres Bernardinos exemptos esse, honore Sedis Apostolicae, quam semper venerati sumus, deferimus illi causam ipsam, quam, uti se habet, Reverendissima Dominatio V.ra ex nostro decreto plane cognoscet. Quam plurimum rogamus, impetrare dignetur apud Ss.mum Dominum Nostrum, ut ea ipsa committatur hic decidenda Rev.mo D.no Archiepiscopo Gnesnensi⁴⁵³ propter gravamen subditorum meorum, quod isthic Romae litigando magnum subirent. Quam commissionem expeditam dignetur Rev.ma Dominatio V.ra ad nos mittere, quo nobis faciet rem valde gratam. Quae feliciter valeat nosque diligat.

⁴⁵⁰ Achilles de Grassis, cfr. supra, notam 68.

⁴⁵¹ Rex commorabatur in Lithuania ab initio Februarii usque ad medium Decembrem 1522 et redit tandem Cracoviam die 2 Ianuarii 1523, cfr. Gąsiorowski, p. 263.

⁴⁵² De hac re v. Kantak BP I, p. 183. Adhuc magis severe iudicant integrum operatum et mores nuntii idem rex in contemporanea epistula ad Erasmus Ciołek (Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 588) et Andreas Krzycki in epigrammate *In legatum impurum* (Kórnik, BPAN, ms. 243 f. 283v).

⁴⁵³ Ioannes Łaski.

THOMAS CRNIĆ (NIGRO)
(1522-1523)

B^eatissime p^r post oscula et pulueres pedu' beatoru' ac humile' comedacione' et sicutum
in omni' saluatore. Du' venientia me' conuulso' chⁱs per deuotissimam hucus consuevit
et me' pro fuis peccatis fris pecunia' ac periclitans causa eiusdem a fauibus orci eripi
di p^{ro}fessorarum. Letans sum in his que' d^{icit}a sum m^{er}it^u iⁿ omnibus patim' nesciam
et ministraria'. Tuam uidebier' ut p^{re}teras' s^{anct}issima et ad u'niuersitatem Nepotem
sui Cardinalem Legata u'nter' eu' pecunia' delinasse' ad conducenda et m^{er}ita ho
minum. Et no' prouum' classem p^{re}parasse' et iudicis ac horay p^{re}parare'. Contra immene
s' impensis et minimebile exercitus terra maria' immaniu' Turcav' p^{re}paratus in co
m' aetere' constiuit ad diuormda' et p^{ro}p^{ri}us abdonda' non publicam christi' (ut ipi')
ariolam' et firmiter tenent'. Cui p^{re}cor Omen in ips' Conuertantur. quibus p^{ro}m^{is}ib^{us}
ut som' q^{uo}d p^{re}c^{ip}iu' tu' arbitriu' offerre' S' me' in hac causa reliquias senectutis me' quo
ue' mihi ut martyris iniugiu' cisa mors uoniat: uel' t' tue suu' oib^{us} Victoria lem'
Cui in sonibus ex p^{ic}culo multa roa': et conscientia m^{er}ita' uite' prudenter p^{ar}iter et
audacta' ueget'. quare' me' s' nitterit uir et abu' q^{uo}d u'la m^{or} quamla cu'g est et
in Ungaria' in prison' mihi toties explorata' nomine' publico et ubiq' locorum
et temporu': p^{ro}ptim' in exaltacione' maritimus et nauali prelio: ad excidandas po
pulos christianos ad uerdicanda capescendi' non publicam christi': et hostes ui
niifer Crucis delendos et extermindados. Dei spiritu maximi et vienij sui auspi
ciis'. felix fructu' sit eidon et ouibus suis'. que' du' felix dom' uiceas' in
utraq' homine' et tandem plena annis uita purior exorna'. et t' ore' in sole' m
icet' tui' formae baptis' millo' et xxvij'

E- h^{is}



Denuo et. m^{er} et. capellimus Thomas
Higo alias epus Scandonen et Tragu
ren indegnus.

117

Epistula autographa Thomae Crnić ad Clementem VII, pont. maximum,
data 24 VI 1532

(AV, Lettere di Principi 7 f. 117r)

N. 1

**Thomas Crnić
canonicis ecclesiae Spalatensis**

Cracoviae, 21 XII 1522.

Notum facit se ipsis scripsisse Praga et Vratislavia, ac ea ipsa die venisse Cracoviam, ubi splendide exceptus esset a regina Bona et magistratu Cracoviensi. Sperat se intra Ianuarium et Februarium omnia sibi commissa in Polonia et in Hungaria exsecuturum esse et mense Martio litus maris Adriatici assecuturum. Curae ipsorum commendat suam matrem, eius olim servam [Angelinam, necnon pauperes illius loci. Salutat aliquas alias personas.

Or.: Gomidica (in Croatia), Archivum privatum Ioannis Carev (editor Katić scribit: "ove podatke našao sam kod gosp. Ivana Careva u Gomidići, koji mi ih je spremno dao na uvid").

-Ed.: Katić, p. 232-233. Ibidem in p. 233 copia inscriptionis epistulae: "Rev. dis presbiteris Christophoro archipresbitero, Nicolao primicerio et Rugerio Caputgrossu, Canonicis Spalatensisibus, amicis suis carissimis. Spalati".

Per consolatione vostra da ogni loco dove havemo posuto vi aviamo dato aviso del felice eser nostro et in tutto prospero, Dei gratia; ultimati da Praga, cità regal de Boemia, et da inclyta cità Vratislavia, capo del ducato de Sclesia, dandovi intender cum quanto honore, auctorità et reputacione, Dei gratia, per tutto siamo sta[ti] receputi, trattati, expediti et accompagnati, cum cari et cavai per pompa et segurtà nostra¹.

Tandem ogidì^{a)}, in XX giorni da Praga, siemo giunti a Cracovia, capo regal cità de regno de Polonia, receputi da^{b)} magistrato (non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam). Dove, non atrovando la Ser.ma magestà regia, che si trova in Lituania, et se aspetta per feste de Epifania², dala ill.ma regina^{c)3} et tuta inclita republica Cracoviense semo trattati da veri signori omni genere officiorum. Et speremo per tuto zenaro essere de qui expediti a [233] laude de Dio et cum omnimoda satisfactione et contento della Santità del nostro

¹ Epistulae hae desiderantur. De hac missione Thomae Crnić eiusque circumstantiis ac effectibus plura dixi in articulo separatis edito (cfr. Wojtyska TC).

² De itinere Lithuanus regis Sigismundi eiusque reditu Cracoviam, v. supra, Ferreri N. 55, notam 451.

³Bona.

Signore et non manco honore et utile nostro. Ma perché ex iniuncto dovemo tornar dal Ser.mo re de Ungaria⁴ per referir etc., credemo etiam per tuto mese febrero expedirse dala sua magestà, con, dante Domino, per tuto marzo vegnir ala marina. Credemo cascadun vui haveria pagato tuto zo che ha al mundo^{d)} eser stato a cusi lontan viazo et haver visto quel che pochi hano posuto veder. Ma porco pegro non manca mai b[on] pero. Reliqua in adventu nostro, Deo dante, istuc. Et letabitur cor nostrum⁵.

In questo mezo, more solito, quanto posemo vi racomandemo et governo dele cose nostre et reliqua, praeſertim dela nostra dulcissima genitrice, non lasandole mancar cosa alcuna, usque ad delicias in vita et, acadendo, in morte; sforzandosi arciprete⁶ render tal rason dela vilificacion sua che posa intender de nui quel evangelico: Euge, serve bone fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam⁷. Et perché intendemo eser grande penuria del viver et caetera, se cusi è, vi racomandemo la povertà ad porrigendas manus adiutrices pauperibus et elimosinas; et co[metemo] a spetabile pre[te] Ruziero, nostro zafaro et repositario⁸, che insieme con vui dui, in alimonias pauperum mendicantium, o in denaro o in pane, che sarà meglio, spenda degli nostri denari ducati X, che serano ben spesi, et metà al conto nostro. Pariter a Gelina⁹, che adeso se vedrà la sua servitù verso la m[adona] madre mia, et e converso, suplendo vui tuti li desideri etc. Recomando a quel m[agnifico] conte le cose nostre et reliqua, come le cose dela nostra Ill.ma Signoria sono recomandate de qui. Et volesse Dio che sp[etabil] Piero et sp[etabil] Canceler fosino venuti a questo viazo per conto lor et nostro.

A tutti nostri amici et parenti, Tomasina abadesa, madona Mari[a], Domicio et altri, consalutat[iones] per parte nostra. Cum quibus, domini, felices bene valeatis, nostri memores in vestris orationibus. Ex Cracovia, a dì 21 decembris^{e)} 1522.

Thomas Nigro epus Scardonensis
et nuncius apostolicus

a) *Katić legit:* oli [?] di.

b) *Katić legit:* de

c) *Katić legit:* regia

d) *Katić habet:* mudo

e) *Katić legit:* decembrio

⁴ Ludovicus II Jagellonides.

⁵ Ps. 32, 21.

⁶ Christophorus, unus ex destinatariis eiusdem epistulae.

⁷ Math. 25, 21-23.

⁸ Rugerius Caputgrossio, item unus ex destinatariis epistulae.

⁹ Verisimiliter nomen abbreviatum "Angelinae".

N. 2.

**Responsum primum
nomine Sigismundi I, regis Poloniae
Thomae Crnić datum**

Cracoviae, [3-6 I 1523].

Gratias agit pro benedictione a summo pontifice sibi allata. Audire ipsum promittit, cum ex itineris lassitudine paulisper requieverit.

Min. (manu A. Krzycki?): Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 5, f. 51r (n. 453). In margine manu ipsius Górska: "Inicio 1523"; in folio separato manu eiusdem Górska: "Responsum a Sigismundo Primo rege Poloniae datum Rev.do Thome Nigro, Epo Scardonensi, Nuntio Apostolico", et in dorso: "Ad annum 1523 pertinet. 1522, 9 Decembris Rex Vilna exivit ad Poloniā. II Ianuarii 1523 Rex venit Cracoviam".

Cop. coaeva: Warszawa, AGAD, Sucha 39/53 f. 257r-258r (datatio: "Cracoviae, Ianuarii 1524").

Nuntio Pontificis.

Sacra Maiestas Regia, pro sua observantia et devotione erga Sedem Apostolicam, alaci et gratissimo animo suscipit hanc benedictionem Ss.mi Domini Nostri et quas maiores potest illius Sanctitati pro tanto in se favore et affectu paterno gratias agit, et cupit vicissim, ut illius Sanctitas pro singulari Maiestatis suae consolatione et commodo reipublicae christianaee, cui illam tantopere affectam videt, et longa optimaque valetudine et felicissimis successibus semper fruatur. Personam enim V.rae Dominationis libenter videt Maiestas sua Ser.ma, utpote quae et per se^{a)} accepta est, et litteris non nullorum Rev.morum D.norum Cardinalium et aliorum Maiestati suae non vulgariter commendata. Ad ea vero, quae nomine Ss.mi Domini Nostri^{a)} V.ra Dominatio [...]^{b)} et opus adeo referri et tractare volet, Maiestas sua Ser.ma alio tempore^{b)}, cum paulisper ex itineraria lassitudine se refecerit, responde-re et absolvere illam dignabitur.

^{a)} Sequitur verbum expunctum illegibile.

^{b)} Aliquot verba penitus illegibilia.

^{c)} Sequitur expunctum: respondere

N. 3.

**Responsum secundum
nomine regis Sigismundi I
Thomae Crnić datum**

[Cracoviae, circa 10 I 1523].

Rex commendat operam summi pontificis in conciliandis principibus christianis praestitam, adeo ut omnes simul adversus infideles prodire possint, asserit tamen se ipsum magis auxiliis indigere quam illa praestare posse, cum sit bellis cum Moscovitis et Tartaris occupatus; ideo etiam adhortationem, ut cum Ludovico, rege Hungariae et Bohemiae, conveniat, posteriore tempore exsequendam promittit. Interea dolet, quod pontifex cunctatur eum Plocensem, a se nominatum, confirmare, promovendo in eum episcopatum fratrem magistri Cruciferorum, sui hostis.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 5 f. 52r-53r (n. 454). Correctiones manus Stanislai Górska necnon summarium, ab ipso in margine facta.

- **Cop.:** Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 297-300.

Ed.: Działyński AT V p. 221-222 (ex codice olim Rogalinensi).

**Responsum a Sigismundo Rege Poloniae datum Thomae Nigro,
Epo Scardonensi, ab Adriano Sexto^{a)} pontifice misso**

animo di mandare per questo ambaxata al Re Pollono¹²⁸. Poi di molti trattati have il Maestro resposo [sic] di contentarsi cum certe conditioni, fra le quali sono due dishonestissime: La una è che vole che, si lo Re Pollono non volesse accettare la prorogatione di le inducie et compromesso che in le mani sue sta (non havendo questo Re¹²⁹ autorità di prolungarle per se, como iudice compromissario), che questa Maestà pigli l'arme in favore di gran Maestro contra il Re. L'altera si è che in lo medesimo caso vorria che il Cardinale procedesse contra medesimo Re, come si procede contra li perturbatori di la pace, cum censure. Monsignor Rev.mo li ha resposto assai prudentemente che non vol fare niente, mostrandoli le ragioni perché. Et cossì so[no] di parer li Consiglieri del Re che il Re aresponda. Ma la Regina¹³⁰, che favorisce lo Maestro, vorria che si li dasse la respuesta che lo Maestro vole. Noi staremo al vedere: si vorrano lo parer nostro, ci lo daremo, como havemo dato che non si ne faza [sic] niente, et travagliaremo cum ogni studio a metterci qualche accordo, si serrà possibile¹³¹.

[De reliquiis sanctorum pro Stephano Verböczi Roma mittendis. [50v] De praevio iudicio suo super rebus Italiae (v. N. 16). De diversitate opinionum calixtionorum Bohemorum in negotio bonorum ecclesiasticorum restituendorum et unione cum Ecclesia Romana ineunda. [49r-v] De confinium Hungariae ab aepo Colocensi (Tomori) defensione eiusque meritis]. (a-Et basando li Ss.mi piedi di Nostro Signore, in bona gratia di V.ra Signoria mi arrecomando. Budae, VI Februarii 1525.

Signor. Di V.ra Signoria certissimo servitore

lo barone del Burgio^{a)}

^{a-a)} Autographum.

N. 18.

**Ioannes Antonius Buglio
Iacobo Sadoleto**

Budae, 26 IV 1525.

Notum facit oratorem regis Hungariae (Ioannem Statileo) sibi scripsisse de homagio magni magistri ordinis Theutonicorum (Alberti) regi Poloniae praestito, de Prussia ipsi in feudum data ac de proposito filiam regis (Hedvigem) ip-

¹²⁸ Die 20 I 1525 Buglio scribebat Sadoleto: "Lo Maestro di Prusia è vinuto ad adomandare il fine del iuditio compromissorio. Mons. Rev.mo [Campeggi] forse si risolvirà mandare a questo effetto lo Ve-scovo Scarense [Franciscum Cito] al Re Pollono" (Fraknói ROP, p. 119).

¹²⁹ Ludovicus II.

¹³⁰ Maria Habsburg.

¹³¹ Idem refert etiam legatus Campeggi in sua epistula ad Sadoleto, 8 II Buda data (Fraknói ROP, p. 140-141).

si matrimonio copulandi. Censem hanc rem animum additurum Lutheranis, ideo proponit, ut rex a pontifice et imperatore vituperetur. Addit nova ab aepo Strigoniensi (Szalkai) habita de oratore Turcarum in Poloniam misso et recensem epistulam palatini Cracoviensis, qua factum regis excusat. Miratur reginam sibi nihil de hoc negotio responsi dedisse.

Or.: AV, Nunz.Germania 55 f. 60r-62r. In f. 62v inscriptio, sigillum et (alia manu) summarium.

- Ed.: Fraknói ROP, p. 171-175.

†

Rev.mo Monsignore et Patronne honorando.

[Gaudet de foedere (1 IV 1525, post imperatoris Caroli V victoriam Paniensem) a summo pontifice cum imperatore et rege Angliae (Henrico VIII) aduersus Gallos inito] a beneficio et salute di Italia.

Circa le cose Bohemice non ho che dire, attendendo ad aspectar li Ambaxatori, li quali son tardati ad venir per le cause che per le altre lettere scripsi a V.ra Signoria¹³².

Di lo negocio Prutenico haverà V.ra Signoria Rev.ma inteso quello che ni sentiva per lettere di lo Ambaxatore del Re¹³³. Al presente per lettere del medesimo Ambaxatore et altri si entende lo Maestro¹³⁴ haver fermato pace perpetua cum quella Corona et haver donato sacramento homagio al Re et preso lo standardo da la sua Maestà, et sua Maestà li haver donato la Prusia in ducato per se et heredi suoi¹³⁵. Et ho visto lettere del Maestro, ove si intitula Duca di Prussia. Et publicamente è fama che il Re li dona la figluola per sposa, la quale è sorella consobrina del Maestro¹³⁶. Particularitati et condizioni di la pace non posso fin qui sapere, perché non le scrivino. Ben credo essere tali che si ne vergognano di publicarle. Lo Ambaxatore si remette a dirle quando serrà qui, che serrà per tutta questa settimana. Ben so questo che

¹³² Cfr. epistulam 16 IV 1525 datam, Fraknói ROP, p. 160.

¹³³ Ioannes Statileo († 1542), Dalmata, ab a. 1521 praepositus Budensis, a rege Ludovico II in Poloniā pro componenda controversia cum Alberto missus; fuit Cracoviae a 12 II 1525, cfr. Pociecha KB II, p. 120.

¹³⁴ Albertus Hohenzollern.

¹³⁵ Sic dictum Homagium Prussicum, coniunctum cum tractatibus de saecularisatione Ordinis BMV Theutonicorum in Prussia et creatione ducatus hereditarii pro Alberto, tanquam regni Poloniae vassallo, celebratum est sollemniter Cracoviae 10 IV 1525. Cfr. Pociecha GHP, p. 128-142.

¹³⁶ De proposito hoc nihil scitur. Hedvigem (1513-1573), filiam primogenitam Sigismundi I et Barbarae Zápolya, paulo ante uxorem ducere volebat cognatus Alberti, Ioachimus, marchio Brandenburgensis, qui tandem, aliis propositionibus intermediis (de quo infra, in N. 30 et in nuntiatura Nicolai Fabro), despontavit eam a. 1535. Notandum est matrem Alberti, Sophiam, sororem fuisse regis Sigismundi. Cfr. Ferreri N. 15, annotationem 141.

questa cussì fatta pace have donato et donirà grande animo a tutti li Lutherani et Picardi di Bohemia, quando vedano uno Re vechio et cusi bon christiano haver consentito che una relligione se arruini del tutto, et che non solamente permette che lo Maestro pigli moglie, havendo fatto li tri voti che so gliono li maestri fare, ma li dona anchora la figlia per moglie. Et tanto più li vescovi che sono in Prusia, cum li altri preti et prelati, piglirano moglie et farrano di li beni di la Eclesia [sic] suoi feudi, como questi Lutherani si iactano.

Penso che nixuna cosa tanto haverà mosso il Re, quanto la victoria di Caesare in Italia¹³⁷ et il credersi la Sede Apostolica che seria aruinata. Et però mi è parso [60v] bene scrivere a sua Maestà la nuova confederatione¹³⁸, forse che li farrà tirare lo piede a retro, si non del tutto, almeno di una parte, si sua Santità si vorrà di questo resentire. Si però non è fatto di consenso di sua Santità, che si havesse mossa per alcune ragioni incognite a me. Nixuno altro remedio serrà più oportuno, secondo a me pare, como usare lo remedio di Caesare, il quale mostri arduamente dolersi del Re, como quello che appartiene lo ordine a sua Maestà Caesarea et a tutta la natione Tudesca et similmente farni dolere tutta la natione. Et cusi piccolo lo Regno di Pollonia et exhausto et tanto li è formidabile la potentia di Caesare, maximamente vendendola unita cum quella del Papa et il Re Anglico¹³⁹, che la Maestà del Re mutirà proposito¹⁴⁰.

Sua Maestà è buona persona et in molte cose si lassa gubernare, et lo consiglio, in mano di cui stano simili negocii, è in parte assai corrotto. Et per dir in poco [sic] parole, la Maestà del Re è vero ciò del Re di Ungaria. Et li negocii di quel Regno, cum lo governo, sono molto simili a questi di questo Regno. Mi era dimenticato di dire che lo bon Maestro di Prusia comenza ad scrivere, per coprire la sua colpa, li miraculi di Lutherani, como vederà per mia lettera, di la quale Mons. Rev.mo¹⁴¹ manda la copia.

[Sequitur descriptio negotiorum Hungaricorum et defensionis illius regni adversus Turcas (sub aspectu militari), necnon divulgationis Lutheranismi in Germania (insurrectio rusticorum)].

[61v] Poi di haver scritto la presente, Mons. Strigoniense¹⁴² have mandato una lettera che fa Statilio, cum la copia del sacramento prestato al Re¹⁴³. Et dice essere venuto uno nuntio dal Turco a la Maestà sua. Poi mi è stata donata una lettera che il palatino di Cracovia mi fa, et del negocio

¹³⁷ Victoria ab exercitu Caroli V de Gallis prope Papiam reportata, 24 II 1525.

¹³⁸ Summi pontificis cum imperatore, v. supra, N. 17.

¹³⁹ Henricus VIII.

¹⁴⁰ Eiusdem opinionis erat etiam legatus Campeggi, qui tunc Budae aderat, cfr. eius eplam ad Sadoletum, 26 IV datam, apud Theiner VMH II, p. 697. Cfr. etiam eius posteriores litteras, 8 et 26 Maii 1525 datas (ibidem p. 699-700 et Fraknói ROP, p. 196-203).

¹⁴¹ Legatus Laurentius Campeggi? Epistula desideratur.

¹⁴² Aepus Vladislau Szalkai.

¹⁴³ Id est textum iuramenti Alberti, recens creati ducis in Prussia, regi Poloniae praestiti. Textus hic invenitur etiam in epistula, quam Andreas Cricius ad nuntium dedit, v. infra, N. 19.

Prutenico et di questo nuntio, la quale mando inclusa ala presente¹⁴⁴. Mi si ricorda alcuni mesi sono di haver scritto a V.ra Signoria Rev.ma dili trattati del Re Pollono, zoè [sic] che volea il Re concertar la liga cum il Turco, et poi ordinato Ambaxatore per Roma et adomandare subsidio; et che mancandoli, volea fare tregua o pace cum esso¹⁴⁵. Al presente mi par che si vada verificando. Io ho scritto al palatino ben a proposito. Di la Regina mi son maravigliato che non habbi per anchora risposta di lo negocio Prutenico, anchor che scriva il palatino che non ci è altra condicione si non chri[62r]stiana, l'effetti mostrando il contrario. Ma in breve si sapirà il tutto. ^(a)Et basando li piedi di sua Santità, in bona gratia di V.ra Signoria mi arrecomando. Budae, XXVI Aprilis 1525.

Al servitio di V.ra Signoria prontissimo

lo barone del Burgio nuntio etc.^{-a)}

^{a-a)} *Autographum.*

N. 19.

**Andreas Krzycki, epus Premisliensis
Ioanni Antonio Buglio**

Cracoviae, [ante 1 V] 1525.

*Explicat, quomodo ad suppressionem ordinis Theutonici et creationem du-
catus in Prussia, regni Poloniae feudatarii, deventum sit, Georgio marchione
Brandenburgensi et Friderico duce Legnicensi id nomine magni magistri Alberti
proponentibus et re a pluribus regni consiliariis Cracoviae discussa. Id legitime
a rege factum affirmat. Describit caerimoniam homagii, a recens creato duce
Alberto Cracoviae die 10 Aprilis sollemniter praestiti.*

Cop. coaea: Kraków, BJ, ms. 6549, p. 491-502 (ms. Stanislai Górskei).

Ed. coaea: *Andreae Cricii, Episcopi Premisliensis, ad Ioannem Antonium Pulleo-
nem, Baronem Brugij[sic], nuntium Apostolicum in Ungaria, de negotio Prute-
nico Epistola.* In f. A1r dedicatio typographi Cracoviensis, Hieronymi Wietor,
cancellario Christophoro Szydłowiecki: "Cracoviae, Calendis Maij, Anno Do-
mini Millesimo quingentesimo vigesimo quinto" (editio officialis, curata a
secretario vicecancellarii Petri Tomicki, Stanislao Hosio, cfr. facsimile in p.
150).

Cop. coaea: Wrocław, BOss, ms. 177 II f. 254av-259v (ms. Stanislai Górskei).

- **Ed.:** Działyński AT VII, p. 244-255.

- - **Ed.:** Vetulani, p. 90-102 (versio Polonica).

¹⁴⁴ Epistula Christophori Szydłowiecki desideratur.

¹⁴⁵ Epistula huius tenoris deest inter editas a Fraknói; scripta erat 30 III 1525, cfr. infra, N. 21.

Cop. posteriores: AV, Nunz.Pol. 5A f. 84r-89v (in dorso:"Missum ab Epo Camerini [Berardo Bongiovanni, nuntio in Polonia a. 1560-1563] die 2 Novembris 1562");
 Kórnik, BPAN, ms. 213, p. 430-441;
 Kórnik, BPAN, ms. 223 p. 160-167;
 Wrocław, BOss. 77 II p. 69-76.

Ioanni Antonio Pulleoni, Baroni Burgi, Nuntio Apostolico in Hungaria agenti, Andreas Cricius [salutem plurimam dicit].

Audio te mirari, mi Baro, Magistrum Ordinis, quem vocant sanctae Mariae Theutonicorum, Ducem in Prussia creatum, eamque metamorphosim non probari a te hoc nomine, quod et a religione et a piis studiis Ser.mi Regis nostri quodam modo aliena videatur¹⁴⁶. Quare, ut cognoscas nichil, cum ab ipso religiosissimo Principe, tum a Senatu nostro actum esse perperam et inconsulte, explicandas tibi duxi succincte causas et raciones, quae nostros ad eam pacem conficiendam adduxerunt.

Primum, mi Baro, constat ferme universo orbi hanc controversiam Pruthenicam et tot proelia, tot lites, tot turbas, quae eciam universam Christianam Rempublicam concuciebant, non alia de causa obortas, quam quod Reges Poloniae terras Prussiae utpote suas hereditarias asserebant, Magistri vero et ordo ille Regibus Poloniae ut hereditariis dominis parere et subesse reluctabantur, donec, superis iusticiam nostram adiuvantibus, eo res venisset, ut ordo ipse, cuius imperium adeo excreverat, ut maximis quibusvis Regibus par censeretur, succumberet tandem et cum tota dictione sua in subiectionem Regibus et Regno Poloniae solemni concordia et pace perpetua cederet¹⁴⁷. Quam, longissimo tempore observatam, cum postea, refectis viribus, rursus ordo ipse infringere coepisset, reque aliquamdiu dissimulata et flamma sensim invalesceente, erupisset hoc postremum incendium¹⁴⁸, ac illud evestigio Divus Leo Pontifex, demum Adrianus sextus, ultimo vero Beatissimus Clemens noster, praeterea Caesarea Maiestas, Ser.mus Ungariae et Bohemiae Rex ac plerique Germani [492] Principes extinguere studuisserunt factis quadriennalibus induciis¹⁴⁹, sperantes per arbitriarum cognicionem eam controversiam componi posse; idque minime successisset, sed nec succedere forte unquam potuisset. Atque id videntes Ill.mi Principes Georgius, Marchio Brandenburgensis, et Fridericus, Dux Legnicensis et Inferioris Slesiae Capitanus, veriti ne bellum acrius incrudesceret, edoctique Comicia Regni

¹⁴⁶ Recenset hic epistulam, quam Buglio ad reginam Bonam de hoc negotio dederat, cfr. infra, N. 20.

¹⁴⁷ Pace Torunensi, a. 1466 stipulata.

¹⁴⁸ Bellum scilicet, a. 1519 coemptum, cfr. Ferreri, passim.

¹⁴⁹ Cfr. Ferreri, passim.

Pijotrkoviae de ipso negocio agi¹⁵⁰, rem suo marte aggrediendam pro debito necessitudinis duxerunt, venturosque se illuc ad proponendas Maiestati Regiae non nullas condiciones et modos pacis significarunt. Quia vero Comicia tum solvebantur, visum fuit rem ad Cracoviam reiicere, quo demum sequuti fuerunt Maiestatem suam plerique Consiliarii, tam Ecclesiastici quam Seculares, et facultas Conventus generalis fuit eo quo ad ipsam actionem producta¹⁵¹.

Venientes autem praedicti Principes, ingenue evestigio et citra ulla ambages id quod attulerant proposuerunt: Non posse ullam certam et firmam pacem cum ordine constitui, nec eum esse ordinem aliquem qui ordo putaretur, proindeque haberet bona non nulla in Prussia Magister, iure, ut vocant, feudi, et ex illis subiectionem debitam Maiestati Regiae, uti hereditario suo domino, prestaret, Duxque in Prussia et Princeps Regni Poloniae crearetur. Eandemque esse voluntatem et postulata, cum ipsius Magistri tum omnium membrorum et subditorum ordinis. Qui quidem ordo iam alioqui, tempore sic ferente, deficeret¹⁵².

Res ea ad Senatum relata, primum non mediocrem omnibus admiracionem, mox varias variis sentencias et opiniones iniecit. Quibus enim condicio non probabatur, has potis[493]simus raciones adducebant: Ordinem hunc, ut creditur, Sedi Apostolicae subiectum, proindeque sine autoritate illius destrui non debere; Caesarem et nationem Germanicam, quod ad se ordo ipse pertineat persuasum habere, unde pro pace maiora bella oriri posse in futurum; Magistrum et Commendatores, abiecta religione, uxores ducturos; id nostro consensu fieri male apud omnes Christianos auditurum; non fidendum esse his, qui ab unitate Sanctae matris Ecclesiae desciverunt, qui que votum et iusurandum Deo prestitum non servarent, minus hominibus servaturos. Et alia id genus, quae, verbis extensa, varie animos Senatorum affiebant.

Qui vero diversum senserunt, in hunc modum praedicta diluebant: An ordo esset seu religio eorum, qui miliciam profiterentur, nec ne, aut cui racione ordinis subessent, nostra nichil referre, verum, cum olim Prutheni Principibus Polonis, ad fidem conversis, solita tributa et debita pendere recusassent, damnaque insuper plurima Regno Poloniae inferre consuevissent, accitos fuisse ipsos milites, illicque in Prussia ea racione collocatos, ut adversus Infideles Principibus Poloniae auxilio essent et terras sub rebellibus Pruthenis partas cum illis partirentur¹⁵³; milites vero ipsos, ubi radices altius in terris

¹⁵⁰ Comitia haec celebrabantur Petricoviae a 21 XII 1524 usque ad 24 II 1525, v. Konopczyński, p. 35.

¹⁵¹ Res agebatur Cracoviae mense Martio 1525, post redditum regis ex comitiis 27 II eiusdem anni (cfr. Pociecha KB II, p. 119-120).

¹⁵² Georgius marchio Brandenburgensis et Fridericus dux Legnicensis, qui venerant Cracoviam 6 Martii, proposuerunt haec omnia nomine magni magistri Alberti, cfr. Joachim-Hubatsch RHD I/3 n. 27542, 27546, 27566, Pociecha GHP, p. 130.

¹⁵³ Pacta inita a. 1228-1230 inter ordinem et ducem Masoviae Conradum, qui Cruciferos ex Transsilvania duxit et in confinibus sui ducatus cum Pruthenis collocavit. Cfr. Biskup-Labuda, p. 120.

illis agere cepissent, impetrasse clam litteras, cum a Sede Apostolica tum eciam a Caesare, ut quas terras ab Infidelibus nacti essent, illas obtinerent¹⁵⁴; successu itaque temporis et monarchia Regni Poloniae in multas partes scissa¹⁵⁵, eos ipsos milites Polonus pro Infidelibus premere et infestare cepisse, occupatas terras, meram hereditatem Regni Poloniae, oppidis et arcibus firmasse, omniaque hostilia nunquam moliri destitisse, sed et domi subditos expilare, uxoribus eorum abuti, puellas et virgines violare, dies et [494] noctes potare ac pergraecari, nihil denique divini humanique pensi habere; unde bella ingentia cum Polonis et defectiones iustissime subditorum sequutas. Et quamvis, saepe caesis et succumbentibus Cruciferis, omnis ipsorum ditio in potestatem Polonorum redacta esset, maiores tamen Ser.mi Regis nostri se ad pacem et concordiam saepius ineundam adduci passos, quam nihilominus milites ipsos semper infringere solitos fuisse, ac denique pace perpetua, auctore Legato Sedis Apostolicae facta¹⁵⁶, et subiectione seu homagio, ut vocant, per Magistros plerosque et subditos omnes, longissimo tempore Regibus Poloniae praestari solito, neque dum finem hanc tragediam habere potuisse, data eciam illi maxima occasione per Sedem Apostolicam, recusantem semper eam pacem confirmare, quae alioqui per Legatum eius fuissest composita, unde periuria saepius commissa et bella denuo proximis temporibus orta esse, quae Maiestatem Regiam, quominus tueri se ab Infidelibus et Nepoti suo, Ser.mo d.no Regi Hungariae et Boemiae, adesse posset, destinebant ac prorsus impediebant, cum maxima tocius Reipublicae Christianae iactura et detimento.

Quare, cum ordo ipse constitutus esset in eo loco, septo undique dominiis Christianis, ubi secundum professionem suam nichil rei Christianae commendare posset, quin eciam bene de illa merentes interturbaret, sceleraque et sociates cum Scismaticis et Infidelibus iniret adversus Christianos et dominos suos hereditarios, ac nichil denique ordine seu religione dignum age ret, nichil iustius, nichil Regno Poloniae et toti rei Christianae utilius contingere potuisse, quam ut dudum haec pernicies religionis extincta fuissest, quemadmodum in plerisque aliis Regnis et dominiis Christianis factum constat, citra ullam Sedis Apostolicae autoritatem¹⁵⁷, quam adeo nunc demum non agnoscere ipsum ordinem, ut nichil apud illum nomine Pontificis inhonestius sit [495] et contemptibilis. Cum vero constitutum esset in Conventu generali novissimo neque pacem, neque inducias cum ipso ordine ineundas, sed illum ex terris illis exturbandum, quando quidem eo durante nullam

¹⁵⁴ Agitur de bulla papae Gregorii IX, 3 VIII 1234 edita, et de privilegio imperatoris Friderici II, mense Martio 1236 dato, quae tamen de feudo Sanctae Sedis et imperii loquebantur, cfr. Biskup-Labuda, p. 122, 126-130.

¹⁵⁵ A. 1138 Polonia divisa est a duce Boleslao (Krzywousty) inter eius filios in ducatus, qui tantum iure seniorili, ut vocabant, maiori duci subditi essent. Reintegratio Poloniae nonnisi annis 1305-1329, Vladislao Lokietek regnante, facta est.

¹⁵⁶ Pax Toruniensis a. 1466, a Rodulfo a Rüdesheim confirmata, cfr. Ferreri N. 1, 28.

¹⁵⁷ Ordinem equestrem S. Iacobi de Calatrava in mente habet, a rege Hispaniae Ferdinando, dicto Catholico, coronae regni incorporatum, v. Ferreri N. 14, annotationem 85.

unquam pacem vel concordiam firmam fuisse futuramque esse in posterum satis experimento constaret, discrimen vero commune cum Regno Ungariae suaderet concordiam qualemcumque faciendam et arma in Turcas converten- da, nihil optabilius et magis ex usu accidere potuisse, quam et ordinem, non minus quam olim Templarios¹⁵⁸ noxiū, a semet ipso sine bellico strepitu destrui, et pacem una rei Christianae pernecessariam confici. Hoc uno turbarum fomite e medio sublato, neque Pontificem, neque Caesarem, aut nacionem Germanicam ullam iustum causam adversus Polonus quicquam agendi habituros, cum ordo is esset, qui modo Pontificiam, modo Caesaream, aut nacionis Germanicae autoritatem et ius praetexendo et interim terras Regni Poloniae hereditarias occupando, hanc omnem Camarinam movere consue- visset; quod si maxime liberet cuiquam Polonus eam ob rem impetere, illos, uti hactenus fecerunt, constanter ac intrepide iusticiam et hereditatem suam defensuros esse.

Quod autem ad religionem attinet, significatum fuisse^{a)} iam pridem Summo Pontifici, Luteranismum apud ordinem ipsum, Sacro Sanctam Romanam vero Ecclesiam execrabilem esse, plerosque Commendatores, quos vocant, et Sacrificos nubere, altaria et imagines demolitas, ceremonias et ritus ecclesiasticos sublatos, Sacra omnia profanata; haecque non modo non animadvera et correcta esse per eius Sanctitatis aut Caesaream autoritatem, sed eciam ab utraque hactenus ordinem ipsum adversus nos, Sedi Apostolicae fidos et obsequentes continuoque cum Infidelibus decertantes, fotum esse et adiutum. Neque Ser.mum Regem, neque ullum Polonorum [496] occasionem dedisse, neque eciamnum dare ordini religionis abiiciendae, suum duntaxat ius ab illo exigere; satis esse Regnum et dominia Regni Poloniae ab hac peste haeretica, iam ubique in vicinia grassante, tueri et conservare. De aliis viderent illi, ad quos magis pertineat, qui quum pestem ipsam sinant in die magis invalescere, et ad bella intestina solum intenti, ad tantam Ecclesiae Catholicae perniciem et calamitatem oscitent et conniveant; cum praeterea, sublato per eam haeresim ordine, dicio ipsius ad Maiestatem Regiam et Regnum iustissime, ut hereditarium dominum, recidere debeat, nec ea repeti a possidentibus nisi armis et perniciosissimo tumultu posset, consulcius fore illam eis in feudum donare, qui iam eam tenerent et necessarii Maiestatis suaे essent, quam omnia aestu bellico miscere et Regno Ungariae suoque, tanta mole infidelium laborantibus, deesse. Quos quidem necessarios, si quid delirarent, sperari posse sub religiosissimo Principe et nacioni incontaminatae coniunctos, ad cor aliquando et celerius quam alia occasione redituros. Quod si maxime non fieret, nullam tamen esse rationem cur vel Regi, vel Regno Poloniae culpa impingi deberet, cum non hac concordia, sed longe ante fatis quibusdam, vel furiis potius, non in Prussia solum, sed eciam in tota ferme Germania ad hunc modum erretur. Quam rem si summates illi Principes et quorum magis interest sistere nequeunt, minus a Polonis prohiberi

¹⁵⁸ Ordo militaris Templariorum suppressus est a papa Clemente V a. 1312.

posse. Iusiurandum vero, cum unicum sit et ubique receptum subditorum vinculum, quo et Ruteni et Armeni, Iudeique et Tartari, qui Maiestati Regiae subsunt, vinciuntur, non posse eciam ab illis eo quicquam sanctius aut arcuus exigi.

Talibus utrinque rationibus tota ferme Quadragesima per Senatum nostrum satis frequentem diligenter expensis et disputatis, conventum est tandem nullam unquam pacem vel inducias [497] firmas cum ordine fuisse, ne cum fieri posse, proindeque cum tempore sic ferente a sua professione descisceret et bona ipsius, inique alioqui occupata, ad Maiestatem Regiam, uti hereditarium dominum, iure reciderent, pro quibus in tanto Reipublicae Christianae discrimine noxium foret bellum excitare, concederetur quod Magister et omnes subditi ipsius postularent. De religione vero reficienda, quum universae Germaniae consultum fuerit, quod iam pridem tantum incendium exposcit, eciam huic minori parti facile provideri et omnia ad rectum trahitem reduci posse, presertim firmata in terris illis Regia autoritate¹⁵⁹.

Habes, mi Baro, causas et raciones tocius transactionis huius pacis et concordiae, quae si tibi minus idoneae videbuntur, cogita eam esse horum temporum condicionem, ut pleraque mala minori dispendio tollerari possint, quam ut acrius resecari deberent; et presertim cum nos autores non simus erroris aut praevericationis alicuius, sed hac duntaxat occasione in rem nostram, immo rei Christianae, abusi sumus. Nam, ut ea omittam quibus probari posset ordinem hunc nunquam boni aliquid de re Christiana meritum, ubique vero et noxium fuisse et sediciosum, certe vulgus haud immerito estimat Crucem hanc eius latronis fuisse, qui Redemptori nostro ad sinistram pendebat, proinde ut ominosam, a bono Principe et militibus ipsis desertam. De qua ut more nostro inter nos tecum iocer, addam et meum epigramma olim aeditum, cum huiusmodi nugas nostras tibi placere sciam:

Esse cruces triplices constat, triplicique colore
 Distinctas, hominum quas gerit ordo triplex.
 Est rubra: haec recte domini dicetur Iesu,
 Sanguine quae illius facta cruenta fuit.
 Est alba: et recte haec latroni congrua dextro,
 Mundarunt cuius paucula verba nephias.
 [498] Est nigra postremo laevi latronis: et istud
 Quam recte, illius non minus ordo probat.

Sed de his hactenus. Nunc, quo ordine et quibus ceremoniis acta sit ea, quam dixi, Magistri methamorphosis et subiectio seu homagium prestitum accipe.

¹⁵⁹ Acta huius tractatus Cracoviensis, diebus 8-9 IV 1525 stipulati, inveniuntur edita a Działyński in AT VII, p. 215-241 (editio critica Balzer IV/1, p. 144-159). Cfr. commentarium Pociecha GHP, p. 133-136.

DUM hanc novam consilii materiam versamus, dum capitula et condicioneis huius tocius transactionis condicuntur et scribuntur, quae circa huiusmodi homagia fieri consuevit, tota abiit Quadragesima. Quare actum et celebritatem, quae circa huiusmodi homagia fieri consuevit, ad diem Lunae Sacrae Hebdomadae statui oportuit¹⁶⁰. Eo igitur die in ipso diluculo erigitur suggestum amplissimum prope Praetorium Urbis, tectum sericeis et aureis stragulis, et presertim locus ille edicior, quem vulgo maiestatem vocant, ubi Rex cum Ser.mo filiolo sessurus esset. Concursus fit ad forum immensae hominum multitudinis. Opplentur viae omnes, quacumque incessus erat armorum virorum catervis. Satagit pro se quisque vel ornatus vestitu, vel armis instructus apparere. Interim Maiestas Regia cingitur ingenti et splendida Senatorum Procerumque suorum corona. Accersuntur: primum Orator Ser.mi Ungariae et Boemiae Regis, d.nus Statilius, Praepositus Curiensis, vir, ut nosti, suavis et minime fucati ingenii; demum duo Principes: Georgius Marchio et Fridericus Dux¹⁶¹. Quibus omnibus Maiestas sua comitata est, praecedentibus Principibus ac omnis ordinis Consiliariis et aulicis, vexilloque pulcherrimo, novo Duci de more cum insigniis dando, sequente vero Ser.ma domina Regina cum Ill.mo Principe filio et Reginulis ingentique insignium faeminarum caterva, in essedis et carpentis decentissimis. Venit Maiestas sua in Praetorium, Serenissimaque Regina cum cohorte sua in domum oppositam suggesto divertit, ut illinc commodius eam actionem spectare posset. Principes vero duo ad diversorium Magistri concedunt, dum Rex ornatu Regali [499] indueretur, eo videlicet: sandaliis, amictu, alba, dalmatica, chlamyde seu pluviali et corona.

Erant, qui pro moribus huius seculi aegre ferrent Principem eo ornatu indutum, veluti quem Sacerdotes inepte commenti essent, non perpendentes Regem omnium Regum, Iesum Christum, eo modo ornatum fuisse ad ignominiam, qui modus postea cessit in eam memoriam et dignitatem Regum Christianorum; nec intelligentes Regiam potestatem a religionis subsidio dependeret, quandamque [sic] habere inter se, etiam apud Ethnicos, affinitatem et coniunctionem, unde priores illi clarissimi Romanorum Imperatores iidem Summi Pontifices extiterunt; unde eciamnum Reges itidem ut Sacerdotes, ex more et lege veteri, unguntur et Sacri Reges Sacraeque Maiestates appellantur. Maluissent hi ipsi Censores optimum Principem armatum, ceu Thrasonem quempiam in theatrum produci¹⁶², cum tamen innumeri Christiani et fortissimi Reges ac Imperatores ornatu isto, sanctissime instituto, in his et aliis id genus actis semper sint usi, qui nihilominus armorum suorum clarissima gesta posteris reliquerunt. Nunc hi, qui magis arma crepant seseque in illis, cum opus non est, ostentant, minus armis, cum opus est, agere solent.

¹⁶⁰ A. 1525 haec dies erat 10 mensis Aprilis.

¹⁶¹ Georgius marchio Brandenburgensis et Fridericus dux Legnicensis.

¹⁶² Thraso, miles vaniloquus in "Eunicho", comoedia Terentii.

Sed ad rem caeptam redeo. Induta Maiestas sua ornatu Regio, processit de Praetorio in suggestum, media inter Rev.mos dominos Aepum Gnesensem, Primatem¹⁶³, ac Epum Cracoviensem¹⁶⁴, praecedentibus contigue Pri-mariis d.nis Consiliariis Secularibus, Sceptrum, Pomum et Gladium Regium ferentibus, ac innumeris Proceribus aliis, sequentibus vero reliquis Episcopis et Secretariis. Ubi in Solio Regio Maiestas sua consedisset, venerunt pri-mum Epus Pomesaniensis¹⁶⁵ et plerique Consiliarii et Subditi Illustris Principis Alberti Marchionis, qui oracione decenti facta, quod gracias agerent domino Deo [500] de sublatis et compositis tandem omnibus controversiis et bellis, Christianae Reipublicae perniciosissimis, quae in Prussia per tot annos gesta essent, nec hactenus pacari potuissent, idque pia opera et christiano studio Illustrum Principum Georgii Marchionis Brandenburgensis et Frederici Ducis Legnicensis, suppliciter a Maiestate sua petierunt, ut Nepotem suum, Illustrem Albertum Principem, in graciam suam suspicere et illi terras ac bona conducta in feudum tradere et concedere illumque Principem feudalem Regni sui creare dignaretur. Postea venit ipse Illustris Princeps Albertus, medius inter dictos duos Principes, ac ferme in eandem sentenciam, comptius tamen, uti est ipse patrio sermone disertissimus, verba fecit, singularem fidem, supplicatatem et subiectionem testancia.

Responsum est, tam Consiliariis prius, quam illi Principi deinde, Latinis verbis ac illa rara facundia et lepore, quem nosti, per Rev.mum dominum (b) Petrum Tomiczki, Episcopum (b) Cracoviensem: Bellum, videlicet, quod inter Maiestatem Regiam et eundem Principem intercessisset, gestum esse ab eius Maiestate animo invitissimo, quando quidem esset illi tam arcta necessitudine Princeps ipse coniunctus, et discrimen rei Christianae postularet maxime omnium Principum Christianorum inter se pacem et concordiam. Proinde, cum divina benignitate essent tandem tot difficultates et controversiae compositae et eius Illustritas tantam fidem et propensionem erga illius Maiestatem et Regnum eius testaretur, missam facere non gravatim eius Maiestatem omnia, quae animum suum offendebant, et tam ipsum Principem, quam omnes Subditos et Optimates eius, omni favore et gracia complecti velle, eamque pacem et concordiam, quae conducta sit, amplecti et servaturam esse. Idque potissimum causa Reipublicae Christianae et tot postulatorum Ss.mi Domini nostri Papae, Caesareae et Catholicae Maiestatis ac Ser.mi Ungariae et Bohemiae Regis¹⁶⁶, cuius status id potissimum exigeret, aliorumque Principum Christianorum. Concedereque [501] illius Maiestatem haec singula, quae tam ipse Princeps, quam eius Subditi postularent, ea spe, quod se deinceps erga eius Maiestatem et Regnum ipsius ita gerent, uti probos et fidos subditos erga suum dominum hereditarium decebit.

¹⁶³ Ioannes Łaski.

¹⁶⁴ Petrus Tomicki.

¹⁶⁵ Eberhardus de Queis.

¹⁶⁶ Id est Clementis VII, Caroli V et Ludovici II.

His finitis, accessit Princeps ad solium et pedes Regios, inibique genu flexus, accepit ab eius Maiestatis manibus vexillum et insigne: Aquilam nigram cum "S" litera coronata in pectore, cumque institutione, ore Regio facta, ad Ducatum et terras designatas in Prussia. Deinde super libro Evangeliorum, ac tenens vexillum, fratre vero, Marchione Georgio, qui proximus successor est, caudam ipsius vexilli contingente, praestitit iusiurandum in haec verba:

Ego Albertus, Marchio Brandenburgensis, in Prussia, Stetinensis Pomeraniae, Sclavorum, Cassubarum Dux, Princeps Rugiae et Burgrabius Nurunbergensis, promitto et iuro, quod Ser.mo Principi et domino d.no Sigismundo, Regi Poloniae, Magno Duci Lithuaniae, Russiae ac omnium terrarum Prussiae domino et heredi, sicuti meo naturali hereditario domino, et eius Maiestatis heredibus et successoribus Regibus et Regno Poloniae ero fidelis et obsequens, eiusque Maiestatis ac heredum et Regni Poloniae bonum procurabo et damnum praecavebo, ac omne id faciam, quod ad fidelem Vassallum pertinet. Ita me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Accepto eiusmodi iuramento, Maiestas Regia, gladium educens, novum Ducem praecinxit, ut vocant, equestri dignitate, imposita illi eciam torque aurea, regio munere non indigna. Mox hospites primum, dehinc omnis ordinis homines, qui magna pressura ad id equestre munus contendebant, sunt praecincti.

[502] Quibus omnibus peractis ac depositis regalibus indumentis, rediit eius Maiestas cum toto illo comitatu in Arcem, ubi actis primum in Ecclesia, solenni cantu, Deo gratiis et benedictione pontificali accepta, reliquiisque Sanctorum Patronorum, cum a Maiestate sua tum a Principibus, osculatis, demum eius Maiestas in Regia sua omnes, tam hospites quam suos Optimates ac Proceres, lautissimo prandio accepit. Duo de hinc dies in conficiendis litteris, ultro citoque dandis, sunt consumpti. Tandem Principes omnes, donati ampliter, et eorum Consiliarii die Iovis Sacro¹⁶⁷ discesserunt.

Accipe, mi Baro suavissime, pro meo longo silencio, de quo tocies conquestus es, verbosissimas litteras, adeo tamen sinceras et fideles, ut nihil vel eorum praetermissum sit, quae secrecius et liberius sint in consilio nostro agitata et dicta. Non quidem in contumeliam, vel ordinis, vel cuiusvis alterius, sed ad declarandum duntaxat, quam utrinque non sine iustis ac decernentibus rationibus sit ea pax et concordia hoc modo composita. Nunc, mi Baro lepidissime, vale perpetuo et me dilige, tuamque aliquando de his et aliis rebus sentenciam ad me perscribito. ^(c) Cracoviae 1525 -c)

a) *Adscriptum supra.*

b-b) *Adscriptum supra alia manu. Deest in aliis codicibus.*

c-c) *Solum in codicibus Cracoviensi (BJ 6549)*

et Cornicensi (BPAN 213). Deest in reliquis.

Sequuntur aliquot poemata triumphum regis Poloniae de ordine Theutonico extollentia.

**Petrus Tomicki, regni Poloniae vicecancellarius
Ioanni Antonio Buglio**

Cracoviae, [initio Maii 1525].

De tardiore ad litteras eius responso se excusat. Se non potuisse fatetur ab epo Plocensi (Leszczyński) pensionem pro cardinali S. Sixti (Caietano) assequi, eo quod capitulum Plocense obstiterit, quominus eam obtineret; similiter restitutionem debiti, ab Andrea Tęczyński Romae contracti, obtineri non potuisse, cum ille, qui monitorium de hac re Roma attulisset, a Tęczyński offensus, rem ad iudicium detulerit. Significat regem oratores suos Romam missurum esse, si ceteri quoque principes ita facerent. De negotio Pruthenico, quomodo transactum sit, nepotem suum (Krzyczyki) iam ei scripsisse affirmat.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 6 f. 126r-v (n. 616). In margine sinistro eadem manu: "De nuntiis Romam mittendis", et supra, manu Stanislai Górska: "Quando transactum sit negotium Prussiae". Pars de pensione cardinalis S. Sixti et debito Andreea Tęczyński, pluries correcta, linea diagonalis expuncta esse videtur.

Cop. coaeva: Kraków, BJ, ms. 6549 p. 529-530 (ms. Stanislai Górska).

Cop. XVI saec.: Kórnik, BPAN, ms. 213 p. 428-430. In margine dextra p. 428 eadem manu: "Ioan[nes] Zamboczki".

Ed.: Działyński AT VII, p. 288-289 (ex ms. olim Rogalinensi).

Baroni de Burgo

Magnifice domine, amice charissime et honorande.

Etsi per tantum temporis intervallum^{a)} nullas ad Magnificentiam Vestram^{b)} dederim litteras^{c)}, quod quidem partim maximis occupationibus dissentus, partim propter nunciorum raritatem (qui si forte huc frequentes comitant, mihi tamen se non offerunt) ^(d)-facere praetermissi-^(d), tamen fixa permanebat in animo meo fecundissima V.rae Magnificentiae memoria, simul et mandatorum, quorum negotium explicandum mihi hinc discedens manda- verat. Quoniam autem ^(e)-eorum mandatorum exequendorum^{-e)} occasio hactenus michi defuerat, iusta excusatio michi se obtulisse videtur, quod hactenus a scribendo ad Magnificentiam V.ram michi temperaverim, cum aliud argumen- tum scribendi non facile occurrebat. Nunc, quia in attentandis negotiis nihil intentatum reliquerim, quomodo successit, Magnificentia V.ra paucis accipiat.

Primum in negocio Rev.mi D.ni Cardinalis Sancti Sixti, quo sibi nomine pensionis aliquid solveretur, nullum (quod aiunt) lapidem non movi. Egi apud

Maiestatem Regiam, conabar flectere D.num Epum Plocensem¹⁶⁸, qui etiam hic modo praesens aderat. Nihil tamen efficere potui eo, quod ipse Dominus Episcopus rem ad capitulum reiciebat, asserens quod capitulum ipsum enixissime repugnet, ut Ecclesia ipsa alicui insuetae pensioni subiciatur¹⁶⁹. Atque ita idem D.nus Episcopus, nullo certo responso super ea re dato, haud ita diu hinc discessit.

Quod vero ad illud attinet, pro quo etiam Magnificentia V.ra praesens hic egit, ut videlicet aes alienum apud mensarios Romae contractum dissolvereatur, atque ita consanguineus eiusdem Magnificentiae V.rae a cautione liberatur, res ita se habet: Adolescens ille, ^fAndreas de Thanczyn^f¹⁷⁰ (quod scit Magnificentia V.ra), tunc in expeditione erat, quare, eo absente, nihil in ea re agi potuit. Nuper rediit. Subsecutae sunt tum actiones maximae cum Ordine Theutonicorum et Magistro de Prussia. Interim supervenit e Roma quidam cum monitorio, qui etiam cum ceteris pro eodem debito cavit. Idem ipse, cum negotium executus esset, monitoriumque [126v] per templorum fores affixisset, ab feroci et nobili adolescente contumeliosius habitus est. Qua de re apud Principem actum et questum est. Deducitur res in iudicium. Adolescens interim abest, quare in eodem negotio quid certi ad Magnificentiam V.ram scribere debeam, habeo adhuc nihil. Et difficile quidem est coniectura assequi, quid sperandum est in hac temporum perplexitate, quibus contra Ecclesiam ^fet eius iurisdictionem ac censuras^f ultra quam cuique credibile est, consurgitur. Tamen priusquam res in iudicium introducetur, ^fcurabo omni studio omnibusque viribus meis, ut fiat iustitia et debitum illud exsolvat^f.

De oratoribus, quos Ss.mus Dominus Noster tandem mitti ad se postulavit¹⁷¹, deliberabat Regia Maiestas, et cum consiliariis ea de re contulit. Praestolatur, quonam pacto alii principes in hoc casu se gerent. Qua de re cum certior facta fuerit sua Maiestas, imitabitur non invita caeteros principes christianos, et ^goratores suos libertissimo animo^g Romam mittet et Sanctam illam Sedem, prout iam ab initio factitabat, venerabitur. Quam ad rem, atque etiam ad alias, de quibus supra attigi, mea opera, fides, diligentia, et si qua est auctoritas, nunquam deerit^h. De qua, tum etiam de actoreⁱ, cum primum occasio dabitur, nulla mora interposita, Magnificentiam V.ram faciam ^caliis litteris^c certiorem.

¹⁶⁸ Raphael Leszczyński.

¹⁶⁹ Card. Thomas de Vio, qui mortuo Romae 9 IX 1522 Erasco Ciołek, epo Plocensi, provisionem Hadriani VI obtinuit de hac dioecesi, quam tamen paulo post cessit Ioanni Alberto Hohenzollern, fratri Alberti, magni magistri ordinis Theutonicorum, pro pensione annua super hoc episcopatu 1000 duca torum (v. Kolankowski KJA, p. 3). Cum tamen Ioannes Albertus illa dioecesi renuntiare coactus esset (cfr. Crnić, N. 5), Cajetanus pensionem illam ab episcopo Plocensi actu exsistenti obtinere studebat.

¹⁷⁰ Andreas Tęczyński († 1561), consanguineus Andreeae, palatini Sandomiriensis, postea palatinus Lublinensis (ab. a. 1545) et castellanus Cracoviensis (a. 1561).

¹⁷¹ Vide supra, N. 14.

Quomodo negotium Prutenicum transactum fuerit, scio a nepote meo, domino Epo Premissliensi^{g)}, copiose ad Magnificentiam V.ram perscriptum¹⁷², (^g-ideo non existimabam^{g)} opere precii esse eandem cantilenam frustra repetere. Illud rogo et oroⁱ, me solita sua benevolentia (^g-Magnificentia V.ra prosequi et^{g)} negotia mea, quae hactenus Romae confecta non sunt¹⁷³, commendare velit. Valeatque felicissime V.ra Magnificentia, meque habeat sibi charum et commendatum. Datum Cracoviae etc.

- a) *Sequitur expunctum*: ad Magnificentiam novi non scriberem
- b) *Sequitur expunctum*: literas
- c) *Adscriptum supra*.
- d-d) *Supra expunctum*: facerem, maxime
- e-e) *Correctum ex textu expuncto, illegibili.*
- f-f) *Adscriptum in margine.*

- g-g) *Adscriptum supra aliquot verba penitus expuncta.*
- h) *Sequitur expunctum*: de quibus omnibus
- i) *Sequitur expunctum*: cum primum aliquid certi erit
- j) *Sequitur fragmentum textus penitus expunctum.*

N. 21

Ioannes Antonius Buglio
Iacobo Sadoleto

Budae, 8 V 1525.

*Notum facit id, quod sibi de homagio ducis Alberti rettulerunt Statileus et
deinde epus Premisliensis (Krzycki) per epistulam, quam rex voluit, ut ab ipso
componeretur. Suspiciatur oratorem, quem mittit rex Poloniae in Hungariam
(Karnkowski), indutiarum cum Turcis procurandarum causa, a consiliariis
Hungariorum postulatum esse. Recenset nova de oratore Turco in Poloniā veniente
et de oratore Polono (Odrowąż), amico suo, in Turciam ituro, ut indutias ineat.*

Or.: AV, Nunz.Germania 55 f. 63r-64r. In f. 64v inscriptio, sigillum et (alia manu)
summarium.
- **Ed.:** Fraknói ROP, p. 175-177.

†

Rev.mo Monsignore et Patrone honorando.

Poi di le mie ultime¹⁷⁴ è gionto qui Statilio, Ambaxator di questa Maestà
che era in Pollonia, cum cui poi che ho parlato, trovo quod sibi ipsi non con-

172 V. epistulam Andreae Krzycki, N. 19.

173 Disjunctionem canonicatus Cracoviensis ab ecclesia Plocensi verisimiliter in mente habet, cfr. supra, N. 11 et 14.

174 Cfr. supra, N. 18.

stat, mo' inculpa lo fatto Prutenico, mo' lo excusa. Fenalmente non sa quel che dice. Poi mi è sopragiunta una lettera del vescovo di Primislia¹⁷⁵, la quale ha ordinato il Re che si facesse poi che han visto la lettera che io scrissi ala Regina, secondo Statilio dice, per la quale porrà vedere V.ra Signoria Rev.ma tutto lo progresso del negocio Prutenico¹⁷⁶. Dice anchora Statilio che la Mae-stà del Re have scritto o mandato un messo al Papa, subito che la pace fu firmata¹⁷⁷. Si è vero, non so. Qui, né a Mons. Rev.mo Legato¹⁷⁸, né a me non fu, né scritto né resposto sin qui ale nostre lettere, salvo si questo Ambaxatore Pollono che viene a questa Dieta non portasse le lettere.

Il Re Pollono manda uno Ambaxatore a questa Maestà. Et viene a proponere la pace o tregua cum il Turco¹⁷⁹, la quale il Turco li offerixe per un suo nuntio, como per l'ultime si scrisse¹⁸⁰. Et secondo si può iudicare, mi par vedere che questo Ambaxatore sia stato ordinato da questi Signori, perché loro non osano proponere la pace o tregua cum il Turco in Dieta, ad causa che è vetato per li loro statuti, et perché la nobilità non vive di altro che di la guerra, et pono bene pensare che si li Signori in la guerra s[o]n et non tenino la gente solita, quanto meno la terriano in la pace. Et in quel caso la nobilità restirà senza poter vivere. Per levarsi del tumulto che ni porria venire, la farran proponere in Dieta da lo Ambaxatore Pollono. Et loro la persuadirano, perché quanto meno necessità terrà la Maestà del Re, tanto più comodamente porrano li Signori far li fatti suoi. Lo parir di Mons. Rev.mo lo Legato è che quando la pace o tregua non si facesse cum preiuditio di altri christiani, che non si [63v] dovesse inpugnare. A me ancho la tregua non dispiacirà, cum alcuna conditione tale che fosse integro ali Ungari, in caso che il Turco movesse le forze sue in Italia, senza lesione di la fede rompere la tregua; pur perché per le lettere di li XXX di Marzo io ho scritto di questo discusamente, divinandomi quel che seguiria¹⁸¹. Aspettirò per le prime di V.ra Signoria Rev.ma di intendere la mente di sua Santità sopra questo. Li animi di questi Signori et capi di li nobili si vedeno volti a la tregua o pace.

¹⁷⁵ Andreas Krzycki.

¹⁷⁶ Cfr. supra, N. 19.

¹⁷⁷ Agitur verisimiliter de litteris regis ad summum pontificem, solum 21 V 1525 datis (or. AV, AA I-XVIII n. 2427, ed. Theiner VMPL II, p. 429-430). Epistulam hanc summo pontifici porrexit Georgius Myszkowski (1480-1543), IUD Patavinus et canonicus Gnesensis ab a. 1517, cui, iam aliqua negotia privata aepi Laski Romae curanti, commissum est a rege, ut a summo pontifice peteret convocationem concilii universalis et rationes regis in negotio Pruthenico exponeret, quod feliciter absolvit, cfr. "Collocutionem familiarem Summi Pontificis et aliorum cum Doctore Misskowskij de concordia Prussiaca" ac "Responsum Papae d.no Miskowski", ed. Działyński ATVII, p. 282-285.

¹⁷⁸ Laurentius Campeggi.

¹⁷⁹ Ioannes Karnkowski (1472-1537), canonicus Cracoviensis ab a. 1500, secretarius regius ab a. 1506 (postea epus Premisliensis ab a. 1527 et Vladislaviensis ab a. 1531), qui idem est ac is, qui ad comitia mittebatur, de quo supra. De eius missione in Hungaria, quam mensibus a Maio ad Iulium absolvit, v. Pajewski SPW, p. 46-47.

¹⁸⁰ Cfr. supra, N. 18.

¹⁸¹ Epistula haec desideratur, cfr. supra, N. 18.

Vien inteso di Pollonia che la Maestà del Re have mandato un messo al Turco per adomandarli salvo condutto per poter mandar uno Ambaxatore. Il Turco have non solamente mandatoli uno salvo condutto per lo Ambaxatore, ma per tutti mercanti et altri che in Turcia voglino andare cum mercantia, o per comparare [sic] in amplissima¹⁸². Et già son venuti mercanti Turchi cum robbe importanti in Cracovia. Et have rimesso cum il nuntio del Re un'altro suo nuntio cum offerir la tregua o pace. Quel che porta questo nuntio per anchora minutamente non si sa, perché non ha voluto intrare in Pollonia si primo non li sia per il Re mandato un salvo condutto. Il Re l'ha mandato il salvo condutto et un gintilhomo per farli compagna [sic].

[Exitum comitiorum Hungariae, quae nunc celebrantur, nationi illi proficuum non fore. Oratores Bohemos, ad illa missos, nondum venisse].

(a) Lo Ambaxatore per el Turco la Maestà del Re Pollono lo have eletto, [64r] et è uno mio amico. Partirà, secondo scrivono, fra tre settimane, como porrà V.ra Signoria Rev.ma vedere per la copia di le lettere che mi fano, che le mando cum la presente¹⁸³. Et basando le piedi di sua Santità, in bona gratia di V.ra Signoria mi arrecomando. Budae, VIII Maii 1525.

Al servitio di V.ra Signoria Rev.ma prontissimo

lo barone del Burgio nuntio etc.-^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

N. 22.

Ioannes Antonius Buglio
Iacobo Sadoleto

Budae, 25 V 1525.

Refert ea, quae orator regis Poloniae apud imperatorem (Ioannes Dantis-cus) regi suo scripserat de controversia inter principes intercedente et de oratore caesaris ad regem illum misso, ut aureum vellus ipsi traderet. Censem, petitioni regiae inclinatus et negotio homagii Pruthenici bene considerato, opportunum futurum esse, ut stabilis nuntiatura in Polonia instituatur. Breve pontificium ad regem Poloniae retinere statuit, donec dubia de negotio Pruthenico omnino tollantur.

¹⁸² Salvus conductus huius tenoris concessus erat misso regio (cuius nomen ignoratur) Adrianopoli 15 III 1525, cfr. Pajewski SPW, p. 44-45.

¹⁸³ Desunt. Orator designatus erat Stanislaus Odrowąż de Sprowa († 1542/3), capitaneus Opoczensis ab a. 1502, postea palatinus Russiae (ab a. 1537), qui tamen discessit Cracovia 17 VII 1525. Instructio illi data in forma orationis, propositionem pacis continens, exstat edita a Działyński (AT VII p. 279-281). Obtinuit 18 X 1525 indutias triennales. Cfr. Pajewski SPW, p. 7.

Or.: AV, Nunz.Germania 55 f. 71r-73r. In f. 73v inscriptio, sigillum et (alia manu) summarium.
- Ed.: Fraknói ROP, p. 184-188.

†

Rev.mo Monsignore et Patrono honorando.

[Refert de adventu Budam 12 oratorum Bohemorum. Longe disserit de negotiis Hungaricis, praesertim de comitiis regni futuris].

[71v] Questi giorni passati, per certa via indiretta ma certa, si ha inteso che lo Ambaxatore del Re Pollono che è appresso la Corte di Caesare¹⁸⁴ scrive a la sua Maestà molte cose, infra le quali quelle che mi par che sia bene sua Santità di intenderle. Sono queste: Il Gran Cancilliere¹⁸⁵ haverli detto che sua Santità havea scritto a Caesare di la concordia fatta cum il Re di Franza¹⁸⁶, et che Caesar respose: E' questa la fede, la quale deveno li pontifici osservar; et poi ci maravigliamo che la respublica christiana perisca¹⁸⁷. Et manda la lettera che Caesare fece in risposta a sua Santità, la qual dice havere havuto dal Gran Cancilliere¹⁸⁸.

Scrive essere grande et incredibile povertà in la Corte di Caesare. Dice il giorno che Caesare hebbe la nova di la vittoria¹⁸⁹, che udi un sermone, nel quale fu sua Maestà animata primo a la pace cum l'altri Principi, poi ala expeditione contra il Turco, ultimo a la riformatione di la Ecclesia. Dice il Re di Dacia haver adomandato di andar in Ispagnia, et che Caesare non ha voluto quel peso adosso; et che volendo il Re di Dacia partirsi cum certe nave che erano in Flandria, fu ordinato che le navi si partissiro senza sua saputa; et che a pena hano possuto obtinire tri milia floreni per suo subsidio¹⁹⁰. Anima multo il Re suo a la expeditione contra Prusia, dicendo et afermando che è impossibile che Caesare possi dare uno aiuto al mondo a lo Maestro¹⁹¹. Dice un figluol di un bastardo di lo Duca di Burgogna essere stato eletto per Ambaxiatore che viene per la via di Flandria a lo Arciduca¹⁹²; andrà in Pollonia

¹⁸⁴ Ioannes Dantiscus (1485-1548), cultor litterarum humaniorum, parochus Gedanensis ab a. 1523, postea epus Culmensis (ab a. 1530) et deinde Varmiensis ab a. 1537), a mense Martio 1524 usque ad a. 1531 oratorem egit regis Sigismundi apud imperatorem Carolum V Hispaniae et alibi.

¹⁸⁵ Mercurianus Arborio de Gattinara.

¹⁸⁶ Agitur verisimiliter de brevi, die 5 I 1525 dato, quo summus pontifex foedus cum rege Galliae eodem die initum, coram caesare legitimare conabatur (cfr. Pastor SP IV/2, p. 177).

¹⁸⁷ Epistula Dantisci ad regem Sigismundum, cuius tenorem Buglio hic recenset, deest.

¹⁸⁸ Copia huius epistulae desideratur.

¹⁸⁹ Papiensi, 24 II 1525 reportata.

¹⁹⁰ Christianus II, cum Isabella, Caroli V sorore, matrimonio iunctus, a. 1523 regno Daniae spoliatus, morabatur in Flandria, unde auxilia et pecunias obtinere conabatur ad recuperandum regnum necessarias, v. Brandi, p. 165-166.

¹⁹¹ Dantiscus, ut videtur, scripsit hanc epistulam, antequam ad homagium Alberti deuentum esset, i.e. ante 10 IV 1525.

¹⁹² Carolus Philippus, baro Bredae et Leffergen, missus ad archiducem Ferdinandum.

et portirà lo aureum vellus al Re, che l'Imperatore li manda¹⁹³, et che parlirà cum sua Maestà di non so che matrimonio, che non ben entendo che sia¹⁹⁴. Di la pace cum li Principi niente spera, perché dice il Turco dependere dal Re Anglico¹⁹⁵, et che non crede che quel Re vorrà buttar il suo dinaro in mare, como Crates philosopho¹⁹⁶.

[De vectigalibus ab Hungaris frustra susceptis. De spe sua Turcas hoc anno Hungariam non ivasuros, etsi Danubium iam transiissent. Nova ex Bohemia habita de morte Friderici, ducis Saxoniae († 5 V 1525) et de cardinali Moguntino (Alberto e marchionibus Brandenburgensibus) a rusticis rebellibus cato].

[72r] Lo Ambaxatore Pollono fin qui non si è scoperto ad parlare di la tre-gua o pace. Credo per queste turbulentie, che han visto li Signori in la nobilità, li è parso di soprasedere il negocio¹⁹⁷.

La Maestà del Re di Pollonia ultimamente mi ha scritto sopra il negocio di [72v] li Ambaxatori che sua Maestà adomandava per la reformatione di la Chiesia [sic]. Mo' vederà V.ra Signoria Rev.ma per la lettera che sua Maestà mi fa, che la mando¹⁹⁸; ben lo vescovo di Cracovia, Vicecancelliere di sua Maestà, mi scriva in altro senso, como V.ra Signoria porrà vedere per la copia di un capitolo, che mi fa¹⁹⁹. Signor mio, io intendo che in lo Regnio [sic] di Pollonia sono molto vexati i preti da li laici. Di giorno in giorno vanno aba-xando. Et anchor che quella Maestà sia catholica et bona, si lassa qualche volta cubernar [sic] da li più, como è stato in questo caso Prutenico. Mentre che il male è in principio, iudicheria che a curarlo non porria nocere. Et per un remedio mi pariria che fora necessario che in quel Regnio fosse uno homo di sua Santità, ma di tal vita, exemplo et industria, che non dasse che parlare di se, como il Zaccaria²⁰⁰, che sustinesse le parti nostre vive. Et per il poco iudicio mio, non mi pariria che questo negocio Prutenico si dovesse lassar passar cussì di ligiero, perché è di tanta importantia che nixuna cosa mal fatta have tanto animo dato a Lutherani quanto questa; anchor che creda che sua Maestà non habbia creduto di far questo. Et non sarrà impossibile poter ridurre lo negocio al pristino stato, si lo Imperatore vorrà pigliar lo caso cum quella severità che si li apartiene per multe cause et tener la Mestà del Re un stato di Bari nel Regnio et anchora questo trattato di pace cum il Turco

¹⁹³ Insigne equestre aurei velleris, iam a. 1519 a capitulo ordinis decretum, collatum est regi Sigismundo I ab imperatore Carolo V diplomate, 26 II 1525 dato. Sollemniss collatio facta est Cracoviae die 22 X eiusdem anni, cfr. Pociecha KB II, p. 121, 205.

¹⁹⁴ Agebatur de despousanda reginula Hedvige Ioanni Friderico duci Saxoniae, cfr. ibidem, p. 166.

¹⁹⁵ Henricus VIII, foedere imperatori Carolo V coniunctus.

¹⁹⁶ Locus hic et aliqua ex rebus, de quibus loquitur supra, occurrunt in epistula Dantisci ad Sigismundum I, Matriti die 16 III 1525 data (Działyński AT VII, p. 200), quae tamen repetita esse videntur ex epistula antecedenti, non conservata.

¹⁹⁷ De missione Ioannis Karnkowski v. supra, N. 21.

¹⁹⁸ Desideratur.

¹⁹⁹ Agitur de fragmento epistulae Petri Tomicki initio Maii scriptae, v. supra, N. 20.

²⁰⁰ Ferreri.

che quel Re fa²⁰¹. Et anchor che a nui para che poco possa nocere, pure io iudicheria che fosse bene haver hom [sic] proprio di chi minutamente si entenedesse como questi trattati passano et cum che conditioni.

[Sequitur dissertatio de operibus litterariis Sadoleti].

Lo breve che andava al Re di Pollonia, non è parso a Mons. Rev.mo [73r] lo Legato²⁰² né a me di mandarlo prima che non si entenda la mente di sua Santità di poi del caso, non essendo hormai più a tempo di turbare il negocio²⁰³. Et in gratia [etc]. Budae, XXV Mai 15XXV [sic].

[In postscripto refert novitates de tumultu adversus Iudeos excitato].

(a) Di V.ra Signoria Rev.ma servitor certissimo

lo barone del Burgio^{a)}.

a-a) *Autographum.*

N. 23.

**Gundisalvi de Sangro
ad Sigismundum I, regem Poloniae
oratio**

[Cracoviae], 25 V 1525.

Gladium et pileum, a summo pontifice donatos, ipsi sollemniter tradit et ad defensionem religionis catholicae hortatur.

Cop. coaevae: Wrocław, BOss, ms. 177 II f. 286v (ms. Stanislai Górska), cum nota: "In tradito Sigismundo regi Poloniae pileo et gladio, a Clemente Papa VII misso, verba per Consalvum de Sangro, Camerarium Papae, dicta Cracoviae intra missam in Ecclesia Cathedrali in solenni festo [Ascensionis Domini] in maximo Senatorum et populi concursu";

Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 6 f. 127r (n.617). In dorso nota eadem manu: "Quando d.nus Consalus de Sangro, Camerarius Ss.mi D.ni Nostri Clementis papae VII, obtulit nomine illius Sanctitatis Maiestatis Regiae ensem et pileum, Rev.mus d.nus Petrus [Tomiczki], Epus Cracoviensis, Regni Vicecancellarius, tradens illa in manus Maiestatis suae post 'Patrem' infra Missam die Ascensionis Domini anno 1.5.2.5. verba infrascripta dixit";

Kraków, BJ, ms. 6549 p. 554 (ms. Stanislai Górska). Notae, eiusdem tenoris ac in Theca Górska, praemittitur erronee: "Verba D.ni Tomiczii Episcopi ad Regem Poloniae in traditione pilei et gladii a papa missi";

Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 45.

Cop. saec. XVI: Kórnik, BPAN, ms. 213 p. 486.

- Ed: Działyński AT VII, p. 295.

²⁰¹ De negotio Bariensi et indutiis cum Turcis v. supra, N. 5, 18 et 21.

²⁰² Laurentius Campeggi.

²⁰³ Cfr. supra, N. 18.

Cop. XVII saec.: Kórnik, BPAN, ms. 223 p. 174. Praemittitur nota: "In allato ac tradito gladio et pileo Regi Sigismundo a papa missa verba ad Regem dicta".

Volens Ss.mus dominus noster Clemens VII approbatas Sanctorum patrum consuetudines observare, statuit Maiestatem V.ram, Principem Catholicum Sanctaeque Sedis, a Deo utrumque gladium habentis, devotissimum filium, hoc suo praeclaro munere insignire, nec non et hoc pileo in signum munimini et defensionis adversus inimicos fidei et Sanctae Romanae Ecclesiae protegere.

Firmetur igitur manus V.rae Maiestatis contra hostes Sanctae Sedis ac Christi nominis, et exaltetur dextera illius, eos (veluti ipsius assiduus intrepidusque propugnator) de terra delendo. Et armetur caput Maiestatis tuae Spiritus Sancti, per columbam figurati, protectione adversus eos, in quos Dei iusticia atque iudicium pro Romana Sancta Ecclesia et Apostolica Sede praeparantur. Quod Maiestati V.rae praestare dignetur idem Dei filius, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, Deus per omnia secula seculorum. AMEN.

N. 24.

Responsum nomine Sigismundi I, regis Poloniae Gundisalvo de Sangro datum

[Cracoviae], 4 VI 1525.

*Rex summo pontifici pro muneribus acceptis gratias agit et familiam suam
ac dominia ei commendat.*

Cop. coaevae: Wrocław, BOss, ms. 177 II f. 287r (ms. Stanislai Górska);
Kraków, BJ, ms. 6549 p. 553 (ms. Stanislai Górska, qui post titulum addidit:
"Attulerat is Camerarius a Papa pileum et gladium et verba inania, ut
muneratus hic abiret").

Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 46.

Cop. saec.XVI: Kórnik, BPAN, ms. 213 p. 486-487.
- Ed.: Działyński AT VII, p. 295-296.

**Responsum a Sigismundo rege Poloniae
datum Consalvo de Sangro, Camerario Clementis Papae VII
die Sancto Pentecostes²⁰⁴ Anno 1525**

²⁰⁴ Anno 1525 festum hoc celerabatur die 4 Iunii.

SACRA Maiestas Regia, uti iam antea vobis dici ficerat, immensas agit et habet gracias Ss.mo Domino nostro pro muneribus, quae illius Sanctitas per vos Maiestati suae mittere dignata est²⁰⁵, quae Maiestas sua et gratis-simo accepit animo et illa inter alias res, quas habet charissimas et praeciosissimas, habitura est semper existimacionis non posterioris. Eum vero paternum affectum et benignitatem in se illius Sanctitatis vicissim illi et eius Sanctae Sedi sua perpetua fide et observancia referre et demererri curabit.

Commendabitis autem diligenter illius Sanctitati Maiestatem suam, Ser.mam dominam Reginam, Ill.mum Principem filium²⁰⁶ ac reliquos liberos Maiestatum suarum, totamque domum et familiam, Regnum, dominia, gentes et omnes facultates Maiestatis suae, quas pro re Christiana et Sancta Sede Apostolica Maiestas sua effundere semper est parata, et praesertim cognitam habens hanc Ss.mi Domini nostri erga se benignitatem et affectum. Quem ut illius Sanctitas perpetuo retinere et eius Maiestatem ac negocia ipsius sua gracia complecti velit, illam Maiestas sua omni studio et devocione rogit et praecatur.

N. 25.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Clementi VII, pontifici maximo**

[Cracoviae, post 4 VI 1525].

Gratias agit pro indulgentiis sibi concessis et pro donis (pileo et ense), per nuntium Gundisalvum de Sangro allatis.

Cop. coaeva: Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 713.
Cop. XVIII saec.: Kraków, BCz, ms. 273 IV p. 147-148.

Summo Pontifici

Fuit apud me Nunctius Sanctitatis V.rae Consalvus de^{a)} Sangro, reddidique michi cum binas illius litteras²⁰⁷ tum et dona, quibus me dignata est decorare et insignire²⁰⁸. Pro quibus V.rae Sanctitati immensas ago et habeo gratias. Accepi vero, tam indulgentias quamensem et pileum, omni devocio-

²⁰⁵ V. supra, N. 23.

²⁰⁶ Regina Bona et Sigismundus Augustus.

²⁰⁷ Unum ex his brevibus continet indulgentias pro festo Nativitatis BMV regi et eius subditis concessas 17 III 1525 (v. Theiner VMPL II, p. 428), alterum desideratur.

²⁰⁸ V. supra, N. 23.

ne et alachritate [sic], illaque inter charissima et preciosissima quaeque monumenta rerum mearum collocavi. Accepi et in eam partem ea fausta omnia, quae Sanctitas V.ra ipsis muneribus indidit, curaboque pro virili mea huic expectationi de me illius omni ex parte respondere remque Christianam, uti hactenus feci, et Sanctam Sedem Apostolicam omnibus viribus meis tueri et defendere. V.rae vero Sanctitati tantam in me benigitatem et paternum affectum, quem multifariam erga me demonstrat, omni studio omnique observancia mea referre ac demererri semper enitar. Cui me etc.

a) *Sequitur repetitum: de*

N. 26.

**Clemens VII, pontifex maximus
Sigismundo I, regi Poloniae**

Romae, 1 VII 1525.

Gratias agit pro opere per legatos eius praestito, ut (calixtini) Bohemi ad unionem cum Ecclesia Romana adducantur, et Ioannem Antonium Buglio, qui de hac re, in persona vel per litteras, cum ipso aget, commendat.

Min.: AV, Arm. 44, ms. 9 f. 270r. In f. 270v alia manu: "Anno secundo. 1525. Iuli prima. Regi Poloniae. Gratiae pro operibus eius Maiestatis in re Boemica".

- **Ed.: Balan, p. 160-161.**

Regi Poloniae

Carissime. Quae de Maiestate tua a dilectis filiis Laurentio card. Campiego et Ioanne Antonio Pulleone, barone Burgii, nuntiis nostris^{a)}, accepimus Serenitatem^{b)} tuam, sua et legatione et auctoritate interposita, adiuuisse causam Bohemorum et gentem illam ad unitatem et observantiam Sanctae Sedis Apostolicae hortata^m fuisse²⁰⁹, ea nobis acciderunt gratissima. Ac tanto gratori, quod abs te profecta sunt, in quo uno omnia optimi^{c)} regis officia et munera semper recognovimus ac virtutes quidem inter ceteras eximias^{a)}, sed illam religionis et pietatis maximam, quae una (^a-maximis regibus^{a)} praecipue (^d-digna est et semper fuit^{-d}). Sed etsi causa illa nondum ad eum, qui prestolatur exitum, perducta est, propterea quod his duris difficilibusque temporibus, fretus multitudine impiorum et sceleratorum, sathanas omnia

²⁰⁹ De legatione Christophori Szydłowiecki v. supra, N. 5, 7-8, 11.

ad se nititur revocare, confidimus tamen Domino Deo et in prudentia atque auctoritate tua magnam spem collocatam habemus fore aliquem aliquando^{a)} nostris desideriis aditum, et ad illas Bohemorum res et ad multas alias componendas, quod ita petimus et precamur, donari nobis a misericorde Deo, si ad boni publici et Christianitatis commodum, non ad nos ipsos omnia nostra studia et labores referimus.

Tibi quidem et agimus pro ea cura, quam in tam sanctum opus suscepisti, et, ut videmus saepe, acturi sumus gratias, nostrumque in te amorem optime semper locatum, quotidie magis augere non desinimus; quod utinam tibi possimus aliquando, ut cupimus, declarare. Et quoniam de his et aliis multis scribimus ad supradictum baronem, nuncium nostrum, ut agat verbis nostris cum Serenitate tua ac cum ea, ubi erit opus, omnia conferat, hortamur Serenitatem tuam in Domino, ut ei in cunctis fidem summam habere velit. Cui, cum dedimus etiam^{a)} alias in mandatis, ut si contingaret Serenitatem tuam cum car.mo in Christo filio nostro Ludovico, Ungariae rege, (^{a-}ne-pote tuo^{a)}, coniungi, quod cum tibi et illi nostra mandata^{e)} exponeret et litteras redderet, et si aliquando temporum esset permutata conditio, tamen qui^{f)} eadem illa, quae in dictis literis poscebamus, nunc quoque non minus quam illo tempore cupimus. Iterum petimus a te, ut illa quoque audire et litteras legere, nobisque, vel Deo omnipotenti potius et Reipublicae Christianae saluti solitam tuam virtutem et operam prestare velis. Quod facies nobis super omnia gratissimum, etc. (^{g-}Romae, die primo^{h)} Iulii M.D.XXV, anno 2^{g)}.

a-a) *Adscriptum supra.*

b) *Sequuntur erronee positaes siglae: V. S.*

c) *Adscriptum supra pro expuncto: summi*

d-d) *Adscriptum supra pro expuncto: regia
atque praestans est, utpote quae duas
in se contineat reliquis potiora, sapien-
tiam videlicet et bonitatem*

e) *Sequitur expunctum: et litteras*

f) *Sequitur unum verbum penitus expunc-
tum.*

g-g) *Adscriptum alia manu in margine.*

h) *Adscriptum supra pro expuncto: 3 (vel
30).*

N. 27.

**Clemens VII, pontifex maximus
Sigismundo I, regi Poloniae**

Romae, 20 VII 1525.

*Notum facit se plures eius litteras accepisse, quibus rationes exponit, cur
indutias cum Turco et saecularisationem ordinis Theutonicorum in Prussia ag-
gressus sit. Cum tamen aliqua adhuc dubia habeat, commisit Ioanni Antonio
Buglio, ut de illis cum ipso, in persona vel per litteras, tractaret, cui, ut fidem
habeat, petit.*

Redactio brevior

**Min.: AV, Arm. 44, ms. 9 f. 286r. In f. 286v nota: "Anno secundo. 1525. Iulii XX.
Regi Poloniae ad eius litteras responsum".**

Regi Poloniae²¹⁰

Carissime. Pluribus litteris tuis, uno tempore datis, satis cognovimus Serenitatem tuam et cum magno magistro Prussiae pacem composuisse et cum Turcarum principe ad industias devenisse²¹¹. Cuius rei utriusque rationes et causas ascribis, quae te moverunt atque adeo coegerunt, ut saluti regni tua^{a)} et in eo conservando etiam reipublicae Christianae utilitati consuleres. Nos, qui et Serenitatem tuam summe in Domino amamus et maximam de eius integritate et sapientia opinionem tenemus, quicquid a tua parte factum est, non possemus accipere nisi in partem optimam, si hi, cum quibus tibi conventum est, tales essent, quales nos optaremus, vel ipsorum potius fides et veritas postularet. Quae quum adhuc in animo nostro incerta et ambigua sint, madavimus dilecto filio Ioanni Antonio, baroni Burgii, nuntio nostro in Ungaria, ut Serenitatem tuam de omni animo nostro faceret certiorrem. Ex quo vel ex litteris eius [omnia] plane intelliges^{b)}, cui fidem omnem adhibebis. Nos, in omni eventu temporum, nec amorem nec optimam opinionem, quam de Serenitatis tuae praestantissimis virtutibus suscepimus, sumus dimissuri. Tua quoque Serenitas, ut nomen suum^{c)} christianissimi et sapientissimi regis apud omnes omnium gentium populos conservet, magnopere illi laborandum est, non enim nec thesaurus opulentior, nec dominatus magnificentior est virtutis et integratatis ac erga Deum pietatis nomine atque fama^{d)}. Quod maxime consequere, si corruptos et contaminatos artibus et dolis impiorum Prussiae populos ad pristinum verae et rectae religionis cultum tua auctoritate redegeris. Quod ut efficias, Serenitatem tuam, per Dei nostri erga te multa et magna beneficia, obtestamur. Datum Romae, die XX Iulii M.D.XXV, anno secundo.

^{a)} *Sequitur expunctum: et finitimarum tranquillitati*
^{b)} *Sequitur expunctum: Quibus*

^{c)} *Adscriptum supra expuncto: suorum*
^{d)} *Sequitur expunctum: reperiri potest*

210 Brevia, redacta in utraque forma, missa erant Buglio Budam, qui ex eis longiorem elegit regi mittendam, "perché dextramente et cautamente illà V.ra Signoria monstra che sua Santità si resente, et poi, como V.ra Signoria dice, si li tempi serran tali che parrà bene di resentirsene più caldamente, serrà sua Santità sempre a tempo di farlo. Io non ho scritto altro si non semplicemente mandandoli il breve" (Bulio ad Iacobum Sadoleto, 30 VIII 1525, Fraknói ROP, p. 259).

211 Litterae originales regis ad summum pontificem in negotio homagii Pruthenici, 21 V 1525 datae, inveniuntur in AV, AA I-XVIII n. 2427 (ed. Theiner VMPL II, p. 429-430), similes de industiis cum Turcis initis, 12 VI eodem anno datae, inveniuntur ibidem n. 2430 (ed. Theiner VMPL II, p. 430-431; utramque, ex copia sine data, ed. etiam Działyński AT VII, p. 257-258 et 290-291). Ambae lectae erant in publico consistorio 3 VII 1525 (v. Korzeniowski AR, p. 86). Cfr. supra, N. 22.

Redactio longior

Min.: AV, Arm. 44, ms. 9 f. 288r-v. *Textus expolitus.*
- Ed.: Balan, p. 165-166.

Carissime etc.. Accepimus plures uno tempore Serenitatis tuae litteras, in quibus nos cum de induciis cum Turcarum Principe factis certiores reddis, tum de tuo pacis studio, proque et nostris et praedecessorum nostrorum ac aliorum Principum christianorum hortationibus et precibus, res composuisse cum Magistro Prussiae significas, vetusque et diuturnum inter vos bellum, qua fieri nunc potuit ratione, sustulisse. Cui utrique facto tuo atque consilio, eas rationes affers, quae tibi non modo probabiles, verum etiam necessariae visae sunt, eaque in litteris ipsis tuis apte et prudenter expositae. Ac nos quidem de induciis cum Turca factis, quoniam tu praesens Regni tui necessitates nosse melius potes, dum salva tua et tuorum affinium ac vicinorum Principum dignitate, sine ullis iniquis et abiectis conditionibus factae sint, neque tendant in iacturam et detrimentum nominis christiani (quod nos tamen, tua freti sapientia et magnitudine animi, confidimus), possumus vel acquiescere hoc tempore, vel saltem connivere, nihilque existimare a Serenitate tua sine maximo consilio fuisse factum, quando ea omnium de te, et nostra imprimis, est opinio, neque te propter prudentiam falli in consiliis capiendis posse, neque propter perpetuam et praestantem in Deum omnipotentem fidem et religionem quicquam illius nomine indignum admissurum aut probaturum esse, cum ipse praesertim polliceare, si his intestinis et pene cilibus armis depositis, quae Christianitatem totam cruentarunt, arma communis studio in communem hostem convertantur, te publicae causae non defuturum. Quam promissionem tuam, dignam tua fide atque constantia, sic accepimus, ut simus eam suo tempore repetituri.

Illud autem alterum, quod cum Magistro Prussiae ad pacem et concordiam devenisti, praeclaris utique nominibus obtentum est. Nam et pacis iucundum nomen, et conditio Regni tui eiusmodi, ut tibi finire bellum cum illo ordine expediret, et tempora aliis bellis et periculis turbulentis, et nos semper pacis tibi cum illo ordine auctores fuimus, Tuque per huiusmodi pacem atque concordiam, ad ius et auctoritatem tuam melius pervenisti. Gravia ista omnia et dictu speciosa sunt, eaque a nobis libentissime probarentur, si is, cum quo tibi positis inimiciis pax suscepta est, si vera de eo ad nos allata sunt, dignum se tua ista et munificentia et mansuetudine praebuisse. Nunc quid debeamus de eo existimare aut scribere, incertum est. Ut enim omnia a tua parte plena optimi animi et sanctissima mente facta existimemus, sicut certe existimamus, nec aliter de tanto et tam Christi amante Rege sentire est fas, non possumus ex altera quid sentiamus decernere.

Illud quidem maiorem in modum ex tuis litteris gavisi sumus, quod Serenitas tua ostendit se omnem daturam operam, et iam dare coepisse, ut Christi fides atque religio in illis Prussiae populis restituatur. Quod te, fili Carissime, quanto possumus studio obtestamur per viscera misericordiae Dei nostri, ut hoc quoque monumentum pietatis et bonitatis tuae ad reliquias facta praeclara et fortia, quae antehac fecisti, adiungas. Miseret nos illorum miserorum et infortunatorum calamitatis, qui non fortunas suas, sed semetipsos perditum eunt, dum volunt pravis rectoribus et monitoribus suis obtemperare. In quibus, si tu hereditatem maiorum tuorum, ut scribis, repetiisti, in memoria habeas precamur hereditatem quoque Domini Dei in illis esse servandam. Cuius quidem Dei et nos et illi et Serenitas tua, iusta hereditas sumus. Nos, nisi paterni affectus dolore commoveremur, hac facile possemus cura et sollicitudine animi supersedere, sed pro Pastoris et Patris dumtaxat officio afficimur tot simplicium et miserorum saluti, quorum te quoque ut misericordia capiat deprecamur, quando eorum cura et custodia, pro tuae superioritatis iure, sapientiae etiam et fidei tuae commendata est. Ad hanc rem perficiendam nos omnia nostra studia atque officia Serenitati tuae offerimus, nihil recusaturi quod ad restaurandos Deo fideles suos pertineat; atque omnia acturi, ut intelligat Serenitas tua, nihil aequa nobis charum ac [post] Dei honorem nihil tam iucundum, quam tuam dignitatem et esse nunc et semper fuisse, ^{a-}sicut a dilecto filio Ioanne Antonio Pulleoni, nuncio nostro in Ungaria, Serenitas tua plenius cognoscet^{b)}, cui vel eius litteris fidem indubitatem habebit. Datum Romae etc., die XX Iulii M.D.XXV, Anno secundo^{-a)}.

^{a-a)} *Adscriptum alia manu post deletum:* Datum
Romae etc, die [lacuna] Julii M.D.XXV, Anno
secundo.

^{b)} *Suprascriptum pro expuncto:* intelliget

N. 28.

Ioannes Antonius Buglio
Iacobo Sadoleto

Budae, 30 VII 1525.

Notum facit regem Poloniae assensisse, ut interesset conventui, 8 IX Olomucii vel Posonii inter eum, regem Hungariae et archiducem Austriae celebrando, ut negotia religionis in Bohemia componantur. Petit brevia credentialia sibi pro hoc conventu mitti. Recenset, quid de negotio saecularisationis ordinis Theutonicorum in hoc conventu agere intendit.

Or.: AV, Nunz.Germania 55 f. 91r-95v. In f. 96v inscriptio, sigillum, breve sum-
marium et "R[ispos]to a li XXIII d'Agosto".
- **Ed.**: Fraknói ROP, p. 245-251.

†

Rev.mo etc.

[*De tumultu et expulsione 3 milium rusticorum, qui aliquod monasterium in Bohemia invaserunt a Lutheranis incitati*]. In questa dieta che farrà in Moravia [91v] sua Maestà cum il Serenissimo di Pollonia²¹² serrano Boemi. Lì si trattirà questo negocio tutto, et si farrà l'ultimo sforzo che quel Regnio si assetti et lo negocio di la fede proceda ala conclusione²¹³. Boemi adomandano il Re in Praga, et si li negocii di Ungaria, zoè domestici, si assettirano, porria essere che lo inpetrassero; quando non, farrò sforzo che l'Arcivescovo²¹⁴ vada lui Ambaxatore in Boemia, e che lo Re di Pollonia mandi anchora lo Vescovo di Cracovia²¹⁵. Per me non mancherà che non si usi la mia diligentia.

La Maestà del Re di Pollonia have dato la parola che è contenta di convenire cum questa Maestà per la festa di la Natività di Nostra Signora a li VIII di Settembre in Olomutio di Moravia. Hano mandato Ambaxatore al Principe²¹⁶, invitandolo a questo convento. Si il Principe verrà, lo convento si farrà apreso Posonio²¹⁷; si non, sarà in Olumutio [sic]; et si verrà, V.ra Signoria ni haverà haviso per lo Rorario²¹⁸, a cui scrivo che ni dia haviso a sua Santità. Per questo convento mi par che io habbi brevi freschi credentiali per la Maestà dil Re di Pollonia, per lo Arcivescovo Gne[sne]nse²¹⁹ et per lo Vescovo di Cracovia et per il Palatino di Cracovia²²⁰, che sono li tre persone che fano il tutto, [*necnon brevia credentialia ad regem et barones Hungariae ac etiam ad archiducem Ferdinandum*].

Non dubito che in questo convento si parlirà di la pace cum il Turco. Et in questo io mi portirò secondo li ordini a me dati per la Santità sua, salvo si altro V.ra Signoria Rev.ma di novo non mi ni commettirà. [92r] Non so se si parrà bene che in alcun modo io parli del negocio Prutenico²²¹. A me pare che io ni debbia parlare, ma in un modo, si lo successo di Ispagnia serrà tale che sua Santità stia ferma cum lo Imperatore; in altro modo, si quelle cose an-

²¹² Conventus Ludovici II cum Sigismundo I, de quo infra in eadem epistula.

²¹³ Unionem calixtinorum cum Ecclesia Romana in mente habet.

²¹⁴ Aepus Strigoniensis Vladislaus Szalkai.

²¹⁵ Petrus Tomicki.

²¹⁶ Ferdinandus Habsburg, archidux Austriae.

²¹⁷ Cum Posonium (Bratislava) tantum 65 km a Vienna distet.

²¹⁸ Hieronymus Rorario, orator papae ad nutum legati Campeggi, apud archiducem Ferdinandum Viennae, postea nuntius in Polonia (v. Rorario, *passim*).

²¹⁹ Ioannes Łaski.

²²⁰ Christophorus Szydłowiecki.

²²¹ Id est homagii Alberti Hohenzollern et saecularisationis ordinis Theutonicorum.

dassero perturbate. Si lo successo di Ispagnia è prospero et sua Santità per severa in la liga cum la Caesarea Maestà che fu fatta in Italia²²², parlarni animosamente et farni querela per me; et anchora mi pariria necessario che lo Principe mostrasse di sentirsene da parte de l'Imperatore, et vedere si potessimo retrattare che è fatto. Si per Caesare non è stata confirmata la liga et ciè alcun dubio di discordia, parlarni più modestamente, o forse dissimular del tutto, ad causa che non mi par bene che per un negocio già fatto, al quale a pena si può remediare, ci havessemo a fare un Re poco amico, atto, per l'odio che è fra quelle nationi, ad voltarlo non difficilmente ad danno di Tudeski. Questo è lo parer mio. Ma perché porrà essere a tempo la resposta, io ni farrò quanto per sua Santità mi serrà comandato.

[De informatione, quam desiderat habere super translatione regis Galliae captivi (post victoriam Papiensem) in Hispaniam. [92v-94v] De rei pecuniariae reformatione et variis difficultatibus, in quibus versatur Hungaria. De victoriis ab aepo Colocensi (Tomori) reportatis. De lite super canonicatu Strigoniensi solvendo. De epo Zagrabensi (Erdödi) bano Croatiae creando. [95r] De captivis a Turcis redimendis. De negotio suae pensionis et iterum de moneta nova Hungariae]. ^(a)-Et cum basar li piedi santissimi etc. Buda, penultimo Iulii 1525.

Di V.ra Signoria Rev.ma servitore

lo barone del Burgio nuntio etc.^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

N. 29.

**Clemens VII, pontifex maximus
Sigismundo I, regi Poloniae
et Ludovico II, regi Hungariae**

Romae, 22 VIII 1525.

Gaudet de congressu, quem facturi sunt, quo imminentि periculo Turcico et haeresum divulgationi obviam eant. Hortatur regem Ludovicum, ut consiliis regis Sigismundi pareat, ab isto vero postulat, ne illi desit in rebus Hungariae melius constituendis. De quibus omnibus nuntius suus, baro Burgii (I.A. Bugglio), quem commendat, cum ipsis fusius locuturus est.

Min.: AV, Arm. 44, ms. 9 f. 307r-v. In f. 308v nota: "Regi Poloniae et Regi Hungariae Olomucii conventuris". In f. 307v sub textu: "duplicatum".

- Ed.: Balan, p. 170-171.

²²² Cfr. supra, N. 18.

Regibus

Carissimi. Gratias agimus Deo, qui vota nostra exaudiens, Serenitates v.ras in unum copulavit²²³. Non enim iam dubitamus quin quae nobis curam et molestiam afferebant, extrema prius ab hostibus Turcis pericula, deinde vero graviora etiam intestinarum haeresum mala, communi amborum vestrum consilio et unanimi concordia extirpentur, cum uterque vestrum semper tantam dederit operam in honorem summi Dei et fidei catholicae conservationem, ut et nos ipsi et quicunque Deo affecti sunt, magna se vobis devinctos fateantur gratia; nam et ad Lutheranam impietatem reprimendam uterque pro Dei nomine acer et promptus extitit, et ad illam inclytam Bohemorum gentem unitati christiana restituendam, omni a vobis cura et diligentia elaboratum est. Sed ut illa bene cepta sint, sic vos ambos obsecramus in Domino, ut instare et pergre et ad extremum deducere sancta vestra consilia debeat, Dei quidem ipsius imprimis causa, sed nonnihil etiam nostra, qui non verborum honore, sed vero animi affectu paternum amorem erga vos retinemus, tantumque desideramus vestram felicitatem et gloriam, quantum nostram.

Illa autem, quae nos admodum premunt et premebant, car.me fili Ludovice, quod regni tui statum^{a)} atque ordinem cupiebamus aliqua ex parte in melius constitui, propterea quod ingenium tuum, egregium et singulare, ad aetatem perfectam consilii nondum pervenerat, nunc sunt tibi, patrui tui consilio et sapientia, constituenda. Illum, precamur, ut audias. Habet ille erga te amorem patris, sapientiam in se summi regis. Eius tu similis es futurus. Hoc enim praeclera indoles tua nobis pollicetur. Interea quidem, quae ille admonuerit, tuae erit virtutis et bonitatis non praetermittere. Laboramus animo pro te, in patris locum tibi successimus et tutela et benevolentia et cura. Da nobis hanc laetitiam, premium curarum et sollicitudinum nostrarum, ut eam, quam optamus in te virtutem et magnitudinem animi cernere, celerius, quam aetas pati posse videatur, perfectam videamus²²⁴.

Tu vero, fili car.me Sigismunde, accipe etiam vias nostras et in eo filio ornando ac confirmando omnem tuam, qua plurimum vales, sapientiam exprime. Est ille tibi prope sanguine, nobis ex Deo filius, amore utrique nostrum par, [307v] ut quae ad eius decus et dignitatem pertinent, sint inter nos communia. Sed nos plurimum tua virtute, consilio, autoritate confidimus. Vellemus scribere omnia, si liceret, sed quum id non [placet?], hortamur vestrum utrumque in Domino, ut dilecto filio Baroni, nuncio nostro, homini prudentissimo et fidissimo, cui totum animi nostri sensum aperuimus, fidem

²²³ Breve hoc responsivum esse videtur ad informationem a Buglio die 30 VII 1525 Romam transmissam, v. infra, N. 28. Interea conventus hic, ut scribebat Buglio ad Sadoleum 30 VIII 1525, "si prolunga a la festa di San Martino [11 XI]. La causa dicono per li impedimenti che tiene il Principe [Ferdinando], ma io credo per aspetare la resposta del Turco" (Fraknói ROP, p. 261). Tandem demissum est omnino de illo loqui.

²²⁴ Fusius de timoribus summi pontificis, causa segnitiei regis Ludovici, v. in N. 29.

summam habere et omnia in optimam a nobis partem accipere velitis. Datum Romae, die XXII Augusti, M.D.XXV, anno secundo.

a) *Adscriptum supra verbum penitus expunctum.*

N. 30.

**Ioannes Antonius Buglio
Sigismundo I, regi Poloniae**

Budae, 7 XI 1525.

Quum congressus eius cum rege Ludovico haberi non possit, refert per litteras, quae pontifex maximus ipsi communicanda mandavit: papam videlicet in bonam partem accipere homagium Pruthenicum, cum spe innixus sit regem gernina Lutheranismi in Prussia suppressurum; regnum Hungariae, ob conflictus intestinos, regiae potestatis deminutionem, Lutheranismi divulgationem (etiam in Bohemia et Silesia), et praesertim Turcis Croatiam, Slavoniam, Transilvaniam et Moldaviam iam iam invadentibus, in extremo periculo versans, e vestigio reformandum esse: thesaurum et distributionem stipendiorum melius ordinanda, officium cancellarii regni Stephano Brodarics committendum aliaque, cooperantibus summo pontifice et illo, introducenda. Plura coram diceret, si ipsum convenire posset. Recenset nova, litteris 15 X datis allata, de pace inter regem Angliae et Gallos inita, de regis Galliae capitivi infirmitate, de ducis Borbonii in Hispaniam ex Italia discessu et de spe pacis condendae a summo pontifice concepta.

Or.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 6, f. 82r-85r (n. 592). In f. 85v inscriptio et sigillum. In textu correctiones manu Stanislai Górska factae, quae plerumque constant in substitutione minuscularum litterarum nominum litteris maiusculis, ut ita textus accommodetur regulis Actorum Tomicianorum apparandorum.

- **Cop. coaevae:** Wrocław, BOSS, ms. 177 II f. 324v-327r (ms. Stanislai Górski, cum datatione).
- **Ed.:** Działyński AT VII, p. 333-336 (cum aliquot omissionibus); Kraków, BJ, ms. 6549 p. 586-592 (ms. Stanislai Górski, sine datatione).
- **Cop. saec. XVI:** Kórnik, BPAN, ms. 213 p. 442-448.

Ser.ma ac Sacra Regia Maiestas.

His superioribus diebus commiserat et mandaverat mihi Ss.mus Dominus noster, ut nomine suaee Sanctitatis Maiestati v.rae aliqua exponerem.

Quae ego commodius fore putaveram coram ea Maiestati v.rae referre, si per Maiestatem v.ram licuisset, vel pocius per negligenciam nostram, conventum indictum celebrari²²⁵. Nunc vero, quum mihi omnis spes prorsus sit adempta conventus illius, cogor ea Maiestati v.rae perscribere.

Intellexerat Sanctitas sua pacem inter Maiestatem v.ram et magnum Prussiae Magistrum initam ac omnes causas et raciones, quae ad pacem in eundam iis condicionibus Maiestatem v.ram moverunt. Quae causae omnes luculentissime mihi per dominum Premisiensem ex mandato Maiestatis v.rae fuerant perscriptae²²⁶. Ad quas, etsi non minus iustis et persuasoriis rationibus posset ex altera parte responderi, tamen quia Maiestas v.ra eas iudicavit sibi ac Regno suo necessarias, et cum adhuc causas, quae Magistrum moverunt, sua Sanctitas non intelligat, nihil ad praesens ad causas illas sua Sanctitas iudicat esse dicendum, quum sibi persuasum sit maxime multis et variis documentis a tam prudentissimo ac christianissimo Principe nihil potuisse attentari, quod sanctitatem et prudenciam non saperet. Speratque Sanctitas sua fore, ut illa provincia, haeresi nefaria infecta, postea quam in dicionem et oboedienciam Maiestatis v.rae venerit, sua prudencia et severitate in pristinum Dei cultum redacta erit. De qua re tanto maiorem spem sua Sanctitas concepit, quanto Maiestas v.ra litteris suis sua sponte innuit se esse praestaturam, ad quod in Domino Sanctitas sua hortatur paternae Maiestatem v.ram. Ad pietatem et gloriam Maiestatis v.rae accedet etiam hic non parvus cumulus futurus laudum Maiestatis v.rae. Dicerem [82v] haec longioribus verbis, nisi scirem id esse Maiestatis v.rae ingenium in rebus fidei defendendis, quod soleat cogitationes suae Sanctitatis, ne dicam petitiones et adhortationes, saepius praevenire.

Cupiebat Sanctitas sua etiam, ut instantissime agerem cum Maiestate v.ra de ordine huic Ungariae Regno, omnino perituro, ponendo, aliquasque vias ad id perficiendum ut Maiestati v.rae declararem et Maiestati v.rae omnibus viribus meis inservirem²²⁷. Quod (^acerte eo libencius^a) fuisse facturus praesens, quo melius conceptus (^banimorum dicuntur quam scribuntur^b). Nunc vero, quum in dies velocissime ad ruinam Regnum hoc currat, quid aliud possum dicere Maiestati v.rae, quam cum eadem plorare calamitates totius Christianae Reipublicae ruentis. In ea tempora incidimus, ut nulla ex parte aliquem locum invenire possimus, ubi vel sediciones intestinae, vel crudelissimorum hostium arma, vel nefariae haereses non debachantur. Quae res, etsi singulae per se satis superque sint ad regnum unum destruendum, nescio si Dei ira, quam scelera nostra in nos provocant, vel aliqua alia occulta Dei providencia et causa effectum est, ut omnes tres in hac provincia et crescant et ita firmissimis radicibus in dies propagentur, quod non facilli-

²²⁵ Agitur de conventu Sigismundi I cum rege Hungariae Ludovico II, de quo v. supra, N. 28-29.

²²⁶ Cfr. epistulam Andreae Krzycki, N. 20.

²²⁷ Cfr. supra, N. 29.

mum videtur inde extirpari posse a valentissimis et diligentissimis quibuscumque cultoribus.

Quid sperandum sit a negligentibus, Maiestas v.ra considerare potest. Ordines dominorum inter se divisi sunt. Sunt etiam et Nobiles a dominis divisi^{c)}. Maiestas Regia trahitur ad vota quoruncumque. Propter quas divisiones fiunt quotidie conventus iniussu regio; fiunt eciam et conventicula, quae etsi speciem medicinae pre se ferant, abscondunt tamen crudelissimum venenum, et cum [83r] ad eum finem dicant tendere, ut authoritatem Maiestatis Regiae tueantur, Maiestatem Regiam ad id adducunt, ut apud omnes nullius vel admodum parcae sit existimacionis et authoritatis. Cogitur Maiestas sua conventibus et conventiculis ac confoederationibus, absque scitu Maiestatis suae factis, postea in honestissimis condicionibus consentire. Quae res facit, ut dum unis Maiestas Regia consensum praestet, alteris seminarium paret, et det inicium et fomentum. Et in tantum hoc ordine processimus, quod verendum est, ne aliquando aliquis talis conventus huiusmodi sediciosorum hominum fiat, ut tota authoritas Maiestatis Regiae aperto Marte pereat.

Haeresis quantum in Slesia, Moravia et Boemia vigeat, quid opus est dicere, quum Maiestas v.ra et prius ista quam nos audiat, et eciam propter vicinitatem senciat? Sed haec antiqua est querimonia. Hic vero in Ungaria nulla est civitas, quae Germanis vicina sit, quae vel in cordibus hominum secreto, vel in concionibus publice non det huic sectae fomentum. Sed ut reliqua taceam, in Civitate regia Budensi quantum haec labes vigeat, vel fassiones unius, qui morte damnatus est, liquido possunt ostendere. In quibus fassonibus tot cives vocantur et cittantur, ut fuerit his dominis consulcius visum, ut supprimerentur potius, quam in lucem venirent, verentes, ut aiunt, ne Civitas ditissimis civibus privata, in oppidum evaderet²²⁸. Sed quid de Civitate ego loquor? Utinam altius et proprius hoc malum non serperet, nihil ego taccerem, si praesens cum Maiestate v.ra essem; nihil foret Maiestati v.rae occultum. Nunc vero non sunt omnia litteris committenda. Quam potens sit hostis communis, stultissimum esset Maiestati v.rae recensere, quum^{d)} Maiestas v.ra eius vires non sine maxima sui regni iactura tot annos, [83v] inter tot alia bella, sola sua prudencia et fortitudine substituerit et saepius, ita Deo dante, fregerit.

Sed quam nos simus invalidi ad tantum hostem sustinendum, quam imparati quamque negligentes, pauca dicam. A^{e)} Croacia incipiens usque ad Moldaviam, per quas terras confinia huius Regni fere omnia cum inimicis protenduntur, ab uno mari scilicet usque ad aliud, fere nullus est locus ita munitus, ad quem vel astu, vel armis inimici facilime penetrare non possint. Ad haec accedunt animi populorum, per negligenciam nostram et importunam ac acerbissimam dominorum exactionem ita exasperati, ut incipient de rebus suis cogitare et quovis damno servitutem mutare potius, quam haec

²²⁸ Fusius de hoc casu scribit Buglio in epistulis 9 et 30 VIII 1525 datis, v. Fraknói ROP, p. 256, 262.

pati. Auditur enim Dominos omnes Croatas unitos esse et accepturos esse propediem condiciones, quamvis iniquas, a Turcarum Tyranno oblatis, idque non secreto, sed aperte indicant per proprios oratores Maiestati Regiae²²⁹. Quid credit Maiestas v.ra, quid sint facturi alii, quum se videant in simili necessitate constitutos ad exemplum D.num Croatarum? Et quis populus est in Ungaria, qui in eadem navi cum D.nis Croatis naufragium non faciat quotidie?

Certe admodum pauci post Croatas sunt Sclavi²³⁰, qui divisi sunt in multas partes. Neque tantum potuimus aut voluimus posse, ut eis opportunum et non contemnendum Banum daremus. Et dum de Bano Sclavis dando nos hic disputamus, interea ibi proventus Regni dissipantur et Sclavoniam ammittimus²³¹. Post hanc veniet Iaiza, proh dolor Iaiza, tot sudoribus antiquorum nostrorum a manibus hostium per vim et virtutem ablata, munitissima Civitas, per quam solam esset nobis spes [84r] aliquando totum Bosnae Regnum recuperandum, in tantam calamitatem devenit, ut careat omni comeatu, et multi sunt dies, quod panem non comederint, et mox timendum est, ne per famem ad manus hostium deveniat²³². Habemus inde Varadinum Petri, quod Oppidum²³³, virtute D.ni Colocensis, unquam satis laudati viri²³⁴, huc usque substinemus. Sed nunc, quum sint gentes omnium dominorum et Comitatum inde revocatae et Colocensis cogitet ad Maiestatem Regiam propediem, quo in periculo relinquetur Castrum illud, relinquo ut Maiestas v.ra cogitet. Themesvarum est postea, cui praefecimus duos Comites, certe bonos et strenuos, si possent gentes suas alere. De Transalpina Moldavia et Transylvania, quo in statu sint, nihil attinet dicere. Sunt Maiestati v.rae vicinae et inde veriorem poterit a suis haberi relacionem.

Haec omnia, et his etiam peiora mala, eo consilio visum est suaे Sanctitati [commemorare], quod potuissent provideri et curari, ut in primis proveniens regii in certum ordinem redigerentur, iique bonis hominibus darentur in arrendam; ac omnibus Capitaneis, qui fines tuentur, certa stipendia sua assignarentur apud eos mercatores, qui proventus regios arrendarent, quod quisque sciret deputacionem suam; sumptus a Maiestate Regia reformarentur atque in certum ordinem reducerentur; cavereturque etiam gravissimis censuris, ut quilibet integras gentes, pro quibus ei solutum est, in finibus quos tueretur detineret; quilibet ex aulicis Maiestati suaे serviret iis equis et armis, ad quae se Maiestati suaе astringit; unus Thesaurarius constituere-

²²⁹ Oratorem Croatarum egit, una cum aliis, Simon Erdödy († 1543), epus Zagrabiensis ab a. 1519, v. Buglio in epistula die 30 VIII data (ut supra, Fraknói ROP, p. 262).

²³⁰ Agitur procul dubio de incolis hodiernae Slavoniae.

²³¹ Agebatur de eodem episcopo Zagrabensi bano creando (ibidem, p. 262).

²³² Jaice in Bosnia, quae a. 1523 ab obessione Turcarum liberata erat a comite Christophoro Frangepan et postea difficulter retenta.

²³³ Pétervárad, oppidum et arx in alta ripa Danubii sita.

²³⁴ Paulus Tomori OFMObs († 1526), strenuus miles adversus Turcas, antequam ordinem ingressus sit, aepus Colocensis ab a. 1523. De eius virtute et meritis diffuse scribit Buglio in eadem epistula 30 VIII data (Fraknói ROP, p. 259-262); de defensione Varadini Petri v. Fraknói ROP, p. 92.

tur, qui probitate vitae et moribus ac integritate esset Maiestati Regiae probatissimus. Cancellarium speramus [84v] bonum fore Brudericum²³⁵, pro quo Maiestas v.ra et Sanctitas sua intercesserunt apud hanc Maiestatem et apud d.num Strigoniensem²³⁶; et ab ambobus mihi iam promissum est, et spero, quod propediem promulgabitur Brudericus Cancellarius, si fides erit apud quos esse debet. De Palatino moderno²³⁷ bene Sanctitas sua sperat. Est enim suae Sanctitati cognitus Romae in legacione, quam habuit apud illam Sedem²³⁸, qui et litteris et verbis multa Sanctitati suae pollicetur. Interponeretur autoritas Maiestatis v.rae cum autoritate Sanctissimi Domini nostri, nec non et subsidio et auxilio posset aliquis ordo constitui, qui foret non solum huic Regno utilis futurus, sed Regno Maiestatis v.rae et toti Christianae Reipublicae.

Haec omnia diffusius et subtilius fuisse Maiestati v.rae dicturus, ac aperuissem Maiestati v.rae authores scelerum et rapinarum, destructores autoritatis regiae, remedia ad singula opportuna, quae essent Regi profutura, sine aliorum dolore et displicencia, quae non potuissent adhiberi quin alios offenderent. Nihil enim reliqusem intactum, quae et si non tuto, non commode per litteras significari possunt. Volui Maiestati v.rae haec ex multis dixisse, ut si Maiestati v.rae placuerit, quum suos Oratores huc destinaverit, praecipiat eis, ut mecum communicent Maiestatis v.rae super his rebus consilium. Ego etiam eis Domini mei consilia aperiam, et paribus ac multis consiliis, postquam Maiestati v.rae non visum est convenire, agrediamur rem. Forsan Deus dabit, ut auspiciis Ss.mi Domini nostri et Maiestatis v.rae aliquid boni poterimus facere. Nec Maiestas v.ra relinquat dare in mandatis de rebus Bohemicis, [85r] Slesiticis et Moravicis, pro qua re Sanctitas sua summopere rogit Maiestatem v.ram.

Pax inter Ser.mum Angliae Regem et Regnum Franciae effecta est perpetua²³⁹. Rex Galliae captivus²⁴⁰ infirmus fuit his superioribus diebus ad mortem et rumor fuit mortuum fuisse; postea intellectum est ipsum convalescere

²³⁵ Stephanus Brodarics (1471-1539), secretarius regis Ludovici II ab a. 1524, eiusque orator Romae, regi Poloniae amicissimus; postea epus Sirmiensis (ab a. 1526) et Vaciensis (1539). Nominatus est Regni Hungariae cancellarius eodem anno 1525. De tractationibus v. Buglio apud Fraknói ROP, p. 258.

²³⁶ Aepus Vladislau Szalkai.

²³⁷ Stephanus Verböczy (1483-1541), electus est palatinus Hungariae in comitiis in Hatvan celebratis 4 VII 1525; coactus est huic officio renuntiare 28 IV 1526 (cfr. Fraknói ROP, p. 233 et 373). Post cladem Altinensem (Mohács) cancellarius regis Ioannis Zápolya.

²³⁸ Anno 1517 missionem explevit nomine novi regis Ludovici II Romae et in comitiis Imperii Vormatiae celebratis.

²³⁹ Buglio hic se refert verisimiliter ad quoddam scriptum, cui titulus *La pace et liga perpetua tra li ser.mi principi Re Christianissimo de Francia et Defensor della fede Re de Inghilterra*, editum in Italia (exemplar sine data et loco editionis in BV), in quo tractatus secretus inter regem Angliae Henricum VIII et Ludovicam, matrem Francisci I, regis Galliae, tunc captivi, die 30 VIII 1525 in Moor Park conclusus (cfr. Mackie, p. 316), publici iuris factus est.

²⁴⁰ Franciscus I, in captivitate apud imperatorem Carolum V post victoriam Papiensem manebat, in Hispania detenus.

iam. Dux Borboniae ex Italia solverat Hispaniam versus²⁴¹. Ss.mus Dominus noster sperat bonam concordiam et pacem, etsi haec nova confoederatio videatur non nihil impedimenti huic rei esse allatura. Sed tamen quum hae litterae datae sunt, nihil certi habebatur. Litterae datae sunt XV die Octobris. Et me meaque servicia v.rae Maiestati commendo. Budae, VII Novembris 1525.

(g-E[iusdem] V[estrae] Maiestatis certus servitor

baro Burgii, nuntius in Hungaria etc^{g)}

a-a) *Adscriptum in margine.*

b-b) *Adscriptum supra.*

c) *Hic in margine codicis Cornicensis (ms. 213) adscriptum est alia manu:* Tak w Polscze wlassnie.

d) *Correctum a Górski ex: cum*

e) *Correctum a Górski ex: De*

f) *Correctum a Górski ex: A*

g-g) *Autographum.*

N. 31

Sigismundus I, rex Poloniae
Ioanni Antonio Buglio

[Cracoviae, XI 1525].

Promittit se nuntios, quos summus pontifex mittit in Moscoviam pacis inter ipsum et magnum ducem componendae gratia, bene accepturum esse. Dolet de defectione regis Suetiae (Gustavi Vasa) ad Lutheranos.

Reg.: Warszawa, AGAD, Lib.Leg. 5 f. 253v.

Domino Baroni

Magnifice, nobis sincere dilecte. Accepimus litteras vestras, quibus scribitis Ss.mum Dominum nostrum mittere Moscoviam gratia pacis inter nos et Ducem illum componendae, suadet[is]que nobis illius Sanctitatis nomine, ut pacem ipsam amplectamur²⁴². Nos, neque huius neque ullius alterius belli authores unquam fuiimus, nostra duntaxat, ut debemus, tutari semper adni-

²⁴¹ Fusius de hoc Caroli de Bourbon (1490-1527), ducis exercitus imperatoris Caroli V, ex Italia in Hispaniam reditu scribit etiam Ioannes Dantiscus in epistula ad Petrum Tomicki, 1 XI 1525 Toleti data, v. Działyński ATVII, p. 332.

²⁴² Epistula haec desideratur. De missione Ioannis Francisci Cito ad magnum ducem Basiliū, illi 14 X 1525 in consistorio demandata (Korzeniowski AR, p. 87), v. Cito passim.

xi sumus. Pacem igitur cum ipso Duce, neque respuimus antehac, neque nunc causa rei christiana et Ss.mi Domini nostri respuemus, si qua citra magnam iacturam et ignominiam nostram continget, id quod Oratores ipsi Ss.mi Domini nostri abunde ex nobis cognoscent.

Regem Suetiae non libenter audimus Luteranismo imbutum²⁴³. Si enim videtur perquam difficile pestis haec extingui posse, vulgo duntaxat maiori ex parte infecto, quanto magis difficultis erit, ubi ad reges dimanabit. Et proinde agemus nos quidem cum illo, licet inter nos nulla intercedat amicitia tam familiaris, ut a relligione [sic] maiorum suorum non desciscat. Verum opus erit profecto, ut Ss.mus Dominus noster tandem aliquid dignum sua sapientia et tanto discrimine agrediatur, ne postea lacius res serpat, quam [254r] ut aliquo consilio vel vi mederi possit. Optamus vos bene valere. Datum [...]^{a)}.

^{a)} *Antecedentes litterae sunt mense Novembri 1525 datae.*

N. 32.

**Ioannes Antonius Buglio
Iacobo Sadoleto**

Budae, 16 XI 1525.

Respondendo ad eius litteras, 15 X datas, notum facit se scripsisse epistulas in Poloniā, quibus proposuerat matrimonium reginulae (Hedvigis) cum marchione Mantuano (Friderico Gonzaga); recordatur tamen difficultatum, quae iam antea, cum in Polonia fuerat, a Polonis factae sunt propter alias propositiones matrimoniales regi a Gallis oblatas. Describit dotes animi et corporis reginulae necnon colloquium, quod tunc cum illa habuit.

Or.: AV, Nunz.Germania 55 f. 123r-126r. In f. 126v inscriptio, vestigia sigilli et (alia manu) summarium.

- Ed.: Fraknói ROP, p. 280-282.

- - Pociecha KB II, p. 594 (fragmentum).

Rev.mo Monsignore et Patronē honorando.

²⁴³ Gustavus I Vasa (1496-1560), rex Suetiae ab a. 1523, Lutheranismum ab a. 1524 aperte introducere in regnum suum coepit, v. Martin, p. 221-242.

Nuntiat Ottонем Truchsess sibi peropportune, hoc est in ingressu itineris ad Synodus nostram provincialem, litteras intimationis concilii generalis redditisse, de quibus ego, secundum mandatum Sanctitatis V.rae, cum caeteris fratribus meis Episcopis et universo ordine Abbatum et Sacerdotum in illa ipsa synodo communicavi. Ostendit se paratum esse in persona Tridentum proficiisci, si per valetudinem licebit, sin minus, alios viros doctos et prudentes ablegare, sicut ipse nuntius fusius expositurus sit.

Or.: AV, Lett. Principi, ms. 9 f. 176r. In f. 181v inscriptio et sigillum.

- Ed.: Theiner VMPL II, p. 541-542.

- Ed.: Ehses CT IV, p. 279-280.

N. 8.

**Otto Truchsess
card. Alejandro Farnese**

Vindobonae, 25 XI 1542.

Notum facit se post 25 dies habuisse tandem responsionem regis in materia concilii, die 6 XI in publica audientia datam, cuius exemplar mittit. Recenset, quid regi dixerit de annata, quam solvendam Romae non esse comitia anni

praecedentis statuerunt. Notificat suum die 8 XI Cracovia discessum et describit difficultates itineris per Moraviam.

Autogr.: olim Napoli, AS, Carte Farnesiane, fasc. 725, n. 7 (destructum).
- Ed.: Wierzbowski U II, p. 10-11.

Rev.mo et Ill.mo Monsignore etc.

Come a dì 17 d'Ottobre ho scritto a V.ra Rev.ma et Ill.ma Signoria il successo della mia rivata [sic] in Polonia et della tardanza della risposta del Re³⁸, così sono stato intertenuto 25 giorni, benché ogni tre over quattro giorni con grandissima instanza habbia sollicitata mia spedizione. Et Sua Maestà non m'ha voluto spedir, allegando la breve tornata dell'Arcivescovo. Et secondo il solito de questo Regno ha mandato per la Maior et Minor Polonia recercar il consiglio de tutti suoi consiglieri, quali sono stati tardi.

Pur con gratia di Dio alli 6 di questo presente fui chiamato de [sic] Sua Maestà et dapoi benigne et corteze [sic] accoglienze, secondo l'usanza, liberamente donato. Et in presenza del Re giovane et li principali Signori del Regno me feci dar questa risposta, che qui inclusa mando a V.ra Rev.ma et Ill.-ma Signoria³⁹. Io de parte de Nostro Signore ringratiai Sua Maestà, eshortandola che non mancasse del bono suo proposito. Qual cosa promesse. Poi m'accostai a Sua Maestà et, secondo il ricordo datomi da Mons. Datario⁴⁰ dell'Ecclesiastici, dissi a Sua Maestà qualmente Nostro Signore haveva inteso che nell'ultima Dieta fatta in Cracovia alcuni Signori havessero tentato di persuader a questo Regno che retenessero l'annate per subsidio contra loro inimici et de non lassar proceder l'appellatione a Roma in causis beneficiorum etc.⁴¹, ma che Sua Santità era certa che Sua Maestà, per sua solita osservanza verso la Sede Apostolioca et la religione Christiana, non patirebbe per niente che tale novità nascessero nel suo Regno, havendo inanzi l'occhi tanti esempi qualmente ogni minima mutatione de obedientia genera ancora mutatione de stati; et che per questo Sua Santità non eshortava altramente, se non che Sua Maestà volesse mantenirse per l'avenire come per lo passato et a questi tali imponer silentio. Similmente sopragionsi che nella natione di Germania io posso testimoniar, benché sia grandissima natione et habbia infiniti Vescovati [l'annate si pagano]; pur che l'annate sono assai minore che

³⁸ Vide supra, N. 3.

³⁹ Hic Wierzbowski asserit nullam se huic epistulae annexam invenisse eiusmodi responsum.

⁴⁰ Vincentius Durante († 1570), epus Termularum (ab a. 1536) et datarius pontificius a. 1536-1545.

⁴¹ Hanc informationem habuit Paulus III ab ipso rege, qui diminutione annatae per oratorem suum Romae, Ioannem Ocieski, a. 1540 non obtenta, scribebat illi Vilna 25 III 1541 se timere, ne in comitiis nobiles de his rebus conquererentur (reg. Warszawa, AGAD, Lib. Legat. 9 f. 112r-v). In comitiis Cracoviensibus, celebratis a die 19 I usque ad 19 III 1540, nihil tamen de ea re statutum est (cfr. *Volumina legum* I, p. 272-277).

le spese che Sua Santità ha fatto et fa di continuo in mantenir soldati et mandar denari al Re de Romani contra li Turci, similmente che Sua Santità fa grandissima spesa ogni anno nelli porti d'Italia contro detto inimico.

Sopra questo me fece rispondere Sua Maestà ch'il era stato assente della ultima Dieta fatta⁴², et che non se maravigliava che tal novità s'havesse tentato; dapoi che in presentia sua molti in tutte le Diete renovano tal cose, ma che Sua Maestà, si come fin adesso non lor haveva dato orechia, così ancora per avenir Sua Maestà in questo et altro se porteria come Christiano Re et Principe Cattolico. All'ultimo se offersi con ogni humilità et reverenza, et m'ha commesso de parte sua et del suo figliolo bassar il pede a Nostro Signore. Similmente feci la Regina.

A dì 8 del medesimo, dapoi disnare, mi parteti [sic] de Cracovia, et per mala mia sorte trovai tanta trista la strada, così grandi fanghi in la Mora-via, che con li impedimenti non ho potuto prima del 21 rivare in Vienna. [*sequitur relatio de rebus, quas Vindobonae egit*]. De Vienna, a dì 25 de Novembre 1542.

De V.ra Rev.ma et Ill.ma Signoria

perpetuo et umilissimo servitore
Truchsess, Barone in Walpurg
propria manu subscrispsit

N. 9.

**Memoriale Ottonis Truchsess
card. Marcello Cervini datum**

[Romae, mense Ianuario 1543].

Enumerat illos, qui - praeter utrumque regem (seniorem et iuniorem) et reginam - maiore auctoritate in Polonia utuntur, quibus brevia mittenda sunt, ut in defensione religionis catholicae confirmentur.

Cop.: BV, Vat.Lat. 12127 f. 483r (manu Angeli Massarelli, secretarii Concilii Tridentini).

Memorale datum ab Ill.mo Ottone, Barone in Trukzes,
redeunte nuncio e Polonia et Germania, Rev.mo Sanctae Crucis⁴³,
pro brevibus mittendis

In Germania etc. [editum ab Ehses CT IV, p. CXL-CXLI].

⁴² Tempore comitiorum Petricoviensium a. 1542 rex degebat Vilnae, cfr. Gąsiorowski, p. 267.

⁴³ Marcello Cervini, card. tit. Sanctae Crucis in Ierusalem.

In Polonia ex re Ss.mi Domini Nostri esse putarem non solum Regem seniorem, sed et iuniorem atque Reginam crebris litteris visere. Nec non, cum Regnum Politicum sit, primates Regni frequentibus exhortationibus in officio continere, quemadmodum Archiepiscopum Gnesnensem^{a)44} et Episcopum Plocensem, Vicecancellarium Regni⁴⁵, inter ecclesiasticos; Dominos Ioannem Comitem de Tarnow, Castellanum Cracoviensem ac Regni Capitaneum generalem, Petrum de Knitta⁴⁶, Palatinum ac^{b)} Capitaneum Cracoviensem, Marsalcum Regni, inter saeculares, qui maioris post Regem sunt auctoritatis, atque si viderint se a Ss.mo Domino Nostro aestimari, ad illius observantiam propensiores fient.

Supersunt etiam duo, et ingenio et auctoritate praestantes viri: Severinus Bonerus, Castellanus et Capitaneus Biecensis, magnus procurator Regis^{c)}, et Jostus Ludovicus Decius, Secretarius Regis, qui plurimum et apud reges et apud Regni proceres valent, atque uterque de Sede Apostolica bene mereri student⁴⁷.

In Moravia plurimum prodesse censerem vere probum et integrum virum Ioannem, Epum Olomucensem⁴⁸, litteris cohortari, ut in coepio suo erga Sedem Apostolicam studio constanter permaneat atque sedulo curet Bohemos, quantum potest, ad veram Religionem reducere, eaque in re consilia sua Ss.-mo Domino Nostro libere communicare, et Suam Sanctitatem officii^{d)} atque laborum suorum non immemorem fore.

Haec volui, prout Rev.ma Dominatio V.ra commisit, paucissimis agere, atque me illi humiliter commendare.

^{a)} *Adscriptum in margine, pro expuncto in textu:* Genen

^{b)} *Adscriptum supra, pro expuncto:* et

^{c)} *Sequitur expunctum:* qui plurimum et apud Regem

^{d)} *Additum in margine.*

N. 10.

**Paulus III, pontifex maximus
Sigismundo Augusto, Poloniae regi iuniori**

Romae, 1 II 1543.

Laudat eius virtutes, paternis similes, de quibus abunde ipsi Otto Truchsess rettulit, hortaturque, ut in illis exercendis persistat.

⁴⁴ Petrum Gamrat.

⁴⁵ Samuelem Maciejowski.

⁴⁶ Kmita.

⁴⁷ De his omnibus vide supra, N. 4. Minutae brevium ad eos, vigore huius memorialis die 1 II 1543 confecti, inveniuntur in AV, Arm. 41, ms. 26f. 95r-99v.

⁴⁸ Iohannes Dubravsky († 1553), epus Olomucensis ab a. 1541. Minuta brevis ad eum, etiam die 1 II 1543 dati, invenitur ibidem, f. 97r.

Min. secunda: AV, Arm. 41, ms. 26 f. 95r-v.

Min. prima: ibidem f. 99v (alio modo redacta, brevior, penitus expuncta).

Sigismundo Augusto iuniori^{a)} Poloniae Regi Illustri

Charissime. Magna afficimur laetitia quottidie audientes Serenitatem tuam patris sui praestantissimi^{b)} ac pientissimi Regis cum virtutes ceteras, tum praecipue pietatem imitari et una^{a)} cum illo fidem catholicam, quamvis alibi graviter^{a)} concussam^{c)}, tamen in vestro Regno integrum et illaesam studiose^{a)} conservasse et conservare. Id enim cum antea saepius ex multis, tum^{d)} nuper ex dilecto filio Ottone Truchses barone, Camerario et Nuntio nostro, istinc reverso, plenius et certius intelleximus. Qui sane in laudes tuae Serenitatis effusus, a qua etiam se honorifice et benigne susceptum testatus est, gaudium nostrum de tuae Serenitatis fama et gloria (^e-renovans cumulavit^e). Merito enim, (^a-fili charissime^a), gaudemus, Sanctaque Ecclesia et Christiana Respublica universaliter gaudere potest, Ser.mum tuum genitorrem, saeculorum vita dignum Principem^{a)}, in Serenitate tua, non solum corporis (^a-et nominis^a) similitudine, sed etiam^{a)} animi ac virtutum imagine propagari. Nec tu minus laetari potes ex hac paternae gloriae et^{f)} pietatis quam ex amplissimi Regni successione. Hoc^{g)} enim terrenum^{h)}, illa celestia sunt^{a)} ac perpetuo mansura. Tuam igitur Serenitatem dignis in Domino laudibus commendantes et ad perseverandum (^a-in coepita pietate^a) hortantes, Deo Omnipotenti gratias pro ho[c] munere agimus, cuius clementiaⁱ⁾ celeste regnum talibus a se repromissum largietur in coelis. ^{j)}-Datum Romae, prima Februarii 1543, Anno 9.

Blos[ius]^{j)}

^{a)} *Adscriptum supra.*

^{b)} *Sequitur expunctum: Regis*

^{c)} *Sequitur expunctum: et labefactatam*

^{d)} *Adscriptum supra, pro correcto et deinde expuncto: nostris et aliis, tum praecipue*

^{e)} *Correctum ex: renovavit*

^{f)} *Sequitur expunctum: virtu...*

^{g)} *Adscriptum supra, pro expuncto: Id*

^{h)} *Sequitur expunctum: est*

ⁱ⁾ *Sequitur longa sententia praecedentibus similis, correcta et deinde expuncta.*

^{j-i)} *Manu Blosii.*

N. 11.

Paulus III, pontifex maximus
Sigismundo I, regi Poloniae

Romae, 18 II 1543

Gratias agit pro responso per Ottонem Truchsess sibi dato. Confirmat voluntatem concilii celebrandi, cuius causa Bononiam ire decrevit, ut cum imperatore et rege Galliae de eorum concordia tractaret. Petit, ut oratores suos et praelatos regni sui ad concilium mittat.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 26 f. 163r-v.
 - Ed.: Ehses CT IV, p. 312.

Regi Poloniae

Carissime. Magnam cepimus animo laetitiam ex responso Tuae Maiestatis, quod dilectus filius Otto Truchses, Baro, Camerarius et Nuntius noster, ad nos attulit, in quo commemoratis detrimentis et cladibus, quae miserae Christianitati ex hac novatione dissensioneque religionis acciderunt et impendent, valde te gavism scribis, quod ad illorum remedium Oecumenicum Concilium omnino celebrare, nec ulterius prorogare decreverimus⁴⁹. Quod ipsum denuo ^(a)Serenitati Tuae^{-a)} confirmamus per praesentes. Stat enim animo nostro fixum non ferre ulterius alienam culpam, quae hactenus immerito in nos collata, non iam verbis, sed rebus diluenda est. Cumque id nostra ipsi voluntate atque officio libenter faciemus, tum aliquanto etiam libentius et alacrius, quod id tam probatum et gratum Tuae Serenitati fore perspicimus, cuius si omnes^{b)} Reges similes haberemus, certe non laboraremus.

Itaque dabitur a nobis opera, concedente Domino, ut sicut tua Serenitas ex ipso Ottone causas prorogationum et impedimenta celebrationis ipsius Concilii intellexit, ita propediem audiat nos Roma exisse Bononiamque profectos esse, ^(c)tum ut experiamur denuo, an tentato iterum cum Caesare et Rege Francorum colloquio, cui rei iam pridem insistimus, aliquid ad concordiam proficere possimus^{c)}, tum ut ex loco propinquiore ipsum Concilium foveamus^{d)}. Huius enim ^(e)inter illos concordiae^{-e)} si nos Deus reddere compotes dignaretur, tum enimvero, sicut Tua Serenitas facile perspicere potest, et ipsius Concilii frequentioris celebrandi et cunctorum aliorum Christianitati salutarium ratio multo expeditior ac facilior futura^{a)} esset. Sed et si hac quoque spe frustrati fuerimus, non tamen ideo a constantia propositi nostri desistemus, quin cum his Praelatis, qui ad Concilium venerint, rem prosequamur. Proptereaque nunc, iterata iussione, omnes ubique Praelatos ad conveniendum urgemus et tuos maxime expectamus.

Quamobrem Serenitatem Tuam, magis ex consuetudine quam quod hortatione egeat tua pietas, hortamur, velit curare, ut una cum tuis Oratoribus, quos te missurum pie promisisti, etiam ipsi Praelati tui Regni quam prius ad Concilium veniant. Nos enim Tuae Serenitati, quamvis maximum ex sua praesentia ornamentum ac dignitatem ipsi^{a)} Concilio allatura esset, [163v] tamen ob aetatem et Regni tui rationes onus personaliter veniendi non solum remittimus, sed etiam gratias pro eius humanitate agimus, De-

⁴⁹ Nulla exstat, quantum conici potest, epistula a rege ad pontificem de hac re scripta. Agi videtur potius de responso regis Ottoni Truchsess dato (v. supra, N. 6), quod, scripto mandatum, nuntio porrectum est summo pontifici praesentandum.

umque oramus, ut te talem Principem, tuumque Ser.mum filium, tibi animo et corpore simillimum, qua laudatione maior ei tribui non potest, nobis diutissime sospitet ac conservet. Te enim et illo in columbus, tuum quoque Regnum in colume in sancta religione et cultu Dei omnipotentis fore non dubitamus. ^f-Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 18 Februarii 1543, anno 9.

Blos[ius]^f

a-a) *Adscriptum supra.*

b) *Suprascriptum pro expuncto:* multos

c-c) *Adscriptum in margine.*

d) *Sequitur expunctum:* tum ut infelices conatus nostros suadendae inter Caesarem et Francorum Regem pacis toties tentatos, si qua possimus, et colloquii facultas nobis non denegetur, repetamus.

Ratio mutationis huius ordinis, sub litteris c-c et d adnotatae, invenitur scripta

in margine manu card. Marcelli Cervini:

Prima ratio profectionis Bononiensis debet assignari pro colloquio habendo, secunda pro rebus concilii, ne videretur pontificem quasi ad concilium velle proficisci et postea substituisse Bononiae. *Et subtus manu correctoris:* Ista verba, manu Cardinalis posita, non scribantur.

e-e) *Adscriptum supra, pro expuncto:* voti

f-f) *Manu Blosii.*

HIERONYMUS MARTINENGO
(1548)

Duca de Ferr^{da} che se ne tornava da S. Co^{lo} del quale fu molto
nato nient'altro cosa leggna di legno - Alla giornata pomer
sero i serviti qui copiosam^{te} e trattòsi (no) bene lo stesso in vac
comodo summi^{te} in buona fr^a li V.S. R^{ma} effettua alla
gle f^{ra} d'elli ci ceda qui a lei questa considera
ci faccio le exx^{ay} di f^{ra} poche: D^r L^r M^r

D^r. V^r M^r et D^r. S^r

Humilissimo servitore l'Abate Marcellino.

Conclusio epistulae autographae Hieronymi Martinengo
ad card. Marcellum Cervini, datae Cracoviae 24 VIII 1548 (cfr. N. 11)
(Firenze, AS, Carte Cerviniane 43 n. 155)

N. 1

**Hieronymus Martinengo
card. Marcello Cervini**

Romae, 25 II 1548.

*Gratias agit pro intercessione, apud summum pontificem pro se ab eo facta,
ut nuntius in Poloniam mitteretur.*

Autogr.: Firenze, AS, Carte Cerviniane 43 n. 10. In dorso inscriptio (Bononiam) et sigillum, ac alia manu: "Ricevuta a 28, risposta all'ultimo".

Rev.mo et Ill.mo Signore.

Essendosi resoluto Nostro Signore di mandarme in Pollonia, perché non me conosco tale che da me dovessi essere operato in questa overo altra negociacione, crederò che'l testimonio, co'l qual piacque a V.ra Rev.ma Signoria di ornarme, habbia havuto forza per far pigliare questa tale resolutione a Sua Santità, supplendo co'l peso dell'authorità sua alla debolezza et imperfettion mia. Onde era mio debito di darle subito quelle più gratie che potevo. Però, havendome detto Mons. de Massa¹ che partendo sarei rimesso a Lei costà in Bologna², pensando poter meglio sodisfare al suddetto debito di bocca che con lettere, ho differito fin adesso el scriverLe. Hora, che veggo che'l despaccio mio se va trattenendo, non ho voluto più tardare affare [sic] questo tale officio con V.ra Rev.ma Signoria, con animo anche di farlo più gagliardamente come prima me vegga fatto di vederLa.

Io adunque infinitamente La ringratio, et me Le trovo sì fattamente obbligato che non crederei saldare la metà de'l obbligo, se tutto 'l tempo de mia vita La servissi; che quando facessi molto più di quel che posso, farei sempre manco di quel che devo. Tuttavia, sapendo che V.ra Signoria resterà servita di quel che io posso, Le prometto che in tutte l'occasjoni che se me offeriranno, me sforzardò de portarme di sorte che almeno sardò conosciuto affettonato suo servidore et con molto desiderio di esserLe conoscente et grato. Il che sa-

¹ Bernardinus Maffei (1514-1553), secretarius Alexandri Farnese et - ab a. 1546 - Pauli III, epus Massanensis ab a. 1547; postea SRE cardinalis et aepus Teatinus (ab a. 1549); viceprotector regni Poloniae ab a. 1550.

² Ubi Marcellus Cervini erat tunc legatus pontificius in concilio, quod 11 III 1547, vi bullae Pauli III iam 22 II 1545 datae, Tridento Bononiam translatum est, v. Jedin GKT II, p. 367-371.

rà 'l fine di questa. Riverentemente basandoLe le mani. Di Roma, alli 25 di febrero de'l [15]48.

D[i] V.ra Rev.ma et Ill.ma Signoria humilissimo servitore

l'Abbate Martinengo

N. 2.

**Litterae credentiales
a Paulo III, pontifice maximo,
ad Sigismundum Augustum, regem Poloniae,
pro Hieronymo Martinengo datae**

Romae, 21 VI 1548.

De morte patris, regis Sigismundi I, ei condolet. Nuntium Hieronymum Martinengo, qui ei etiam de ascensu ad thronum regni gratulaturus et quo in statu sint res concilii generalis relaturus est, commendat.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 42 f. 260r-261r.

- **Ed.:** Raynaldus XIV, p. 351-352.

- - Le Plat IV, p. 101-102.

Cop. XVI saec.: Simanca, AG, Estado, leg. 2002 (Berzosa 1) f. 33r-34r.

- **Cop. XX saec.:** Kraków, BPAN, ms. 8497 (Theca Nuntiaturarum, 1) f. 1r-2r.

Sigismundo Regi Poloniae

Charissime. Obitus clarae memoriae Sigismundi, Poloniae Regis, Genitoris tui³, gravissimus nobis accidit, ut debuit. Ea enim erat in eo pietas, prudentia et regia^{a)} virtus, ut si unquam alias, hoc maxime tempore necessaria esset Reipublicae Christianae eius vita et incolumitas. Quamvis enim Deus omnipotens illi praestantissimo et optimo Regi vitam in multos annos propagaverit, ut valde longaevus ex ea discessisse videri possit, parum tamen vixisse dicendus sit, qui et suo Regno et universae Christianitati^{b)}, tam erat utilis et necessarius, nam et semper in commune consuluit, semperque fidem Catholicam adversus Schismaticos defendit, nec in suum Regnum haereticas unquam opiniones admisit. Quam ob rem nobis, in praesentium acer-

³ Rex Sigismunsus I extrellum diem obiit 1 IV 1548.

bitate temporum positis, in quibus nos undique mala nostra perturbant, Genitor tuus vere est desiderandus.

Esetque multo desiderabilior, nisi te, ex illo genitum, [260v] in illius Regnum pariter ac virtutes successisse intelligeremus^{c)}, quo uno solatio tantum dolorem ex illius morte susceptum temperemus. Te enim firmiter credimus, tam bonae arboris germen, optimos Paternarum laudum fructus nobis relaturum ac producturum esse, ^{(d)iamque egregia pignora ac testimonia dignissimarum tuarum actionum habemus^{d)}, quo fit, ut minus ex obitu Genitoris tui doleamuse^{e)}, ^{(d)cuius imaginem virtutis vivam ac certam in te, novo rege et char.mo filio nostro, perspicimus^{d)}.}}

Cum igitur illum viventem, maximis eius adducti meritis, singulariter dilexerimus, totumque in illum amorem nostrum in te, illius filium, optime spei regem transfuderimus, mittendum ad te duximus, dedita opera, dilectum filium Abbatem Martinengum, Camerarium secretum et Nuntium nostrum, exhibitorem praesentium, ut nostro nomine consolationem ad te nostram de obitu Genitoris tui, simulque gratulationem de tua in Regnum successione perferret, tum deinde Serenitatem tuam de omnibus hic rebus, et quo in statu [261r] negotium universalis concilii hoc tempore reperiatur ^{f)et} quid a te et regno tuo fieri cupiamus^{f)}, edoceat. Quod sane officium, cum una cum ipso tuo Genitore exequi statuissemus, variis praepediti impedimentis fuimus, ne id citius facere potuerimus, sicut haec omnia idem Abbas Nuntius plenius tuae Maiestati referet.

Hortamus proinde Ser. tem Tuam in Deo Domino, ut per vestigia paternae pietatis inconcussaeque erga Sanctam Romanam Ecclesiam devotionis incedens, Catholicae fidei tutelam paterna constantia atque exemplo in tuo Regno continuare et Apostolicae^{g)} Sedis autoritatem, in honorem Dei Omnipotentis ac beatorum eius Apostolorum Petri et Pauli, tueri velis, ut gloriam ^{h)maiorum Vestrorum [sic], imprimisque-}^{h)} Genitoris tuiⁱ⁾, qui hoc indesinenter egit dum vixit, simulque Coeleste Regnum, ad quod illum translatum esse ^{j)sperandum est^{j)}, assequaris; tum ipsi Abatti Nuntio, magnae nobilitatis ac doctrinae viro, in omnibus, quae tuae Maiestati nostro nomine retulerit, plenam et eandem fidem semper habeas, quam nobis ipsis haberes, si praesentes cum tua Serenitate colloqueremur. Datum Romae apud Sanctum Marcum, XXI Iunii 1548, anno 14.}

Blos[ius]

a) *Adscriptum supra expuncto:* bellica
 b) *Sequitur expunctum:* cui semper consuluit
 c) *Adscriptum supra et linea subductum.*
 d) *Linea subductum (expunctum?).*
 e) *Adscriptum supra, pro expuncto:* dolere
 debeamus

f-f) *Adscriptum in margine.*
 g) *Adscriptum supra, pro expuncto:* huius
 Sanctae
 h-h) *Adscriptum in margine pro expuncto:* tui
 i) *Adscriptum supra.*
 j-j) *Adscriptum supra pro expuncto:* credimus

N. 3.

Paulus III, pontifex maximus
Bonae, reginae Poloniae

Romae, 21 VI 1548.

De morte regis Sigismundi, coniugis eius, condolet hortaturque eam, ut filium, novum regem (Sigismundum Augustum), ad vestigia paterna sequenda admoneat. Abbatem Martinengum, nuntium suum de his acturum, commendat.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 42 f. 262r.

Cop. coaeva: Kórnik, BPAN, ms. 221 p. 467-468 (ex originali?).

Cop. XVIII saec.: Kraków, BCz, ms. 66 (Theca Naruszewicziana) p. 221-222.

Bonae Regiae Poloniae

Carissima etc. Etsi mors clarissimi Regis Sigismundi, viri tui, non solum isti Regno, sed etiam universae Reipublicae Christianae importuna ^(a)-ac molesta^{-a)} accidit, cum ille semper, et praesertim his nostris^{a)} turbulentis temporibus, sua virtute et prudentia ^(a)-in commune^{-a)} consoluerit, consolari tamen et te et istud Regnum ac nos et Rempublicam Christianam possumus, quod ille, annis et gloria plenus, Regnum istud tibi, tantae virtutis et probitatis feminae, et communi vestro nato, optimae spei Regi, reliquit ^(b)-non solum contra Turcas munitum, sed etiam^{-b)} ab haeresibus, ^(b)-quas diu vicinas habuistis^{-b)}, intactum, ^(c)-quodque ex vita eius pientissime acta et ex Dei misericordia^{-c)} sperandum est, [ut] ^(a)-ipse de terrestri Regno^{-a)} ad coeleste Regnum ^(d)-translatus sit^{-d)}. Quae duo illi, tanquam optimo et prudenti Principi, semper curae fuisse non dubitamus.

Ut autem nos, pro paterno nostro erga Serenitatem Tuam amore, ^(e)-offitium et consolationis ob illius mortem et gratulationis ob communis vestri filii ad Regnum assumptionem tecum etiam per proprium nuntium exequamur^{-e)}, mittimus ad vos dilectum filium Abbatem Martinengum, Camerarium secretum nostrum, ^(f)-praesentium exhibitorem^{-f)}, virum sua doctrina et nobilitate nobis valde carum, utrumque offitium, et cum Ser.mo nato tuo Rege et cum Maiestate tua executurum, ipsam Maiestatem tuam in Deo Domino hortantes, ut ipsi Abbatii [262v] Nuntio plenam fidem adhibens, pro tua solita in Deum pietate et in Apostolicam Sedem reverentia, ipsum natum tuum, ^(f)-licet sua sponte in hoc promptum et animatum^{-f)}, in hac iuvenili aetate suo consilio dirigere et ad ampliandam ^(f)-paterno exemplo^{-f)} Christianam religionem et Catholicae fidei et eiusdem Sedis defensionem materna ^(g)-pietate

accendere continue velis^{g)}, ut tecum gaudeamus, ^{f)}quod et futurum speramus^{h)}, ipsum tuum et illius communem filium in paternas virtutes haud minus quam in Regnum successisse. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc, 21 Iunii 1548, anno 14.

Blos[ius].

- a-a) *Adscriptum supra.*
- b-b) *Linea subductum (expunctum?).*
- c-c) *Additum in margine pro expuncto in textu: et sicut*
- d-d) *Adscriptum supra, pro expuncto: ascendet*
- e-e) *Adscriptum in margine pro alia simili forma expuncta in textu.*
- f-f) *Adscriptum in margine.*
- g-g) *Suprascriptum. Subtus 2 lectiones va-*

riantes linea subductae (expunctae?): au-
ctoritate exhortari velis, ut, quod ipse
sua sponte et paterno exemplo libentis-
sime facturus erat, tuo nutu admonitus
libentius faciat. Datum [...]. Sequitur: ut,
sicut clarissimum Regem in eius geni-
tore extinctum dolemus, ita ipsum tuum
natum pari gloria et virtute patri suo
successisse gaudeamus. Datum [...].

N. 4.

**Paulus III, pontifex maximus
Nicolao Dzierzgowski, aepo Gnesnensi**

Romae, 21 VI 1548.

Petit, ut nuntio Hieronymo Martinengo, quem inter alia de negotio concilii generalis ad regem Poloniae mittit, fidem adhibeat.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 42 f. 258r.

Ven.li fratri Nicolao,
Archiepiscopo Gneznensi, Regni Poloniae Legato nato et Primati⁴

Ven.lis frater, salutem etc. Cum mitteremus^{a)} ad istum Ser.mum novum Regem, nostrum in Christo filium carissimum, dilectum filium Abbatem Martinengum, Camerarium secretum et nuntium nostrum, ^{b)}praesentium exhibitorem^{b)}, eius Maiestati inter caetera expositurum, quo in statu sit ad praesens universalis concilii negotium, voluimus etiam ut Tuae fraternitati id^{c)} aperiret eique causam^{d)} exponeret, cur id hactenus facere distulerimus, quidque a te et istius Regni praelatis fieri cupiamus.

⁴ Nicolaus Dzierzgowski (1490-1559), aepus Gnesnensis ab a. 1546.

Quamobrem eandem Tuam fraternitatem in Domino hortamur, ut ipsum Abbatem, Nuntium nostrum, sua virtute et nobilitate [nobis] carum, tam in hac quam in quavis alia re, quam tibi nostro nomine dicet, libenter et cum fide audire velis⁵. Datum Romae, a[pud] S[anctum] M[arcum], die XXI Iunii 1548, anno 14.

Blos[ius]

a) *Correctum ex: mittimus*
b) *Adscriptum in margine.*

c) *Sequitur expunctum: exponeret*
d) *Linea subductum (expunctum?).*

N. 5.

Paulus III, pontifex maximus
Hieronymo Martinengo

Romae, 12 VII 1548.

Committit ei, ut quam primum iter in Poloniam arripiat et operam suam interponat, quo regnum istud, periculis dissensionibus laborans, pacari qreat. Hortatur omnes, cum quibus ipse de his acturus est, ut ei fidem adhibeant.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 42 f. 340r, 341r (textus valde corruptus).

Breve apertum

Dilecto filio Abbatii Martinengo, ad partes Poloniae Nuntio nostro, salutem. Moleste ac dolenter acceperamus obitum clarae memoriae Sigismundi Regis Poloniae, quippe qui magnum praesidium in eo amisisse videbamus. Auxit postea molestiam et dolorem nostrum, quod post obitum eius^{a)} non-

⁵ Similia brevia commendationis Martinengi, forma tamen breviore redacta, data erant eodem die 21 VI 1548 Samueli Maciejowski, epo Cracoviensi, regni cancellario (ibidem, f. 258v); Petro Starzechowski, aepo Leopoliensi (ibidem, f. 258v), et eodem exemplo: Andreeae Zebrzydowski, epo Vladislaviensi; Benedicto Izdbieński, epo Posnaniensi; Andreeae Noskowski, epo Plocensi, Ioanni Dziaduski, epo Premisiensi; Ioanni Drohojowski, epo Chelmensi, et Leonardo Słonczewski, epo Camenecensi (ibidem, f. 259r). Die antecedenti, 20 VI 1548, data sunt brevia, eadem forma exarata, senatoribus laicis regni inscripta: Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi; Ianussio Latalski de Łabiszyn, palatino Posnaniensi; Petro Kmita de Wiśnicz, palatino Cracoviensi; Ioanni Tęczyński, palatino Sandomiriensi; Stanislaw Łaski, palatino Siradiensi; Andreeae Górką, castellano Posnaniensi; Nicolao Brudzewski, palatino Lanciensi; Petro Firlej, palatino Russiae; Felici Sokołowski, palatino Plocensi, et Ioanni Dzierzgowski, palatino Masoviae (ibidem, f. 257r-v).

nullas seditiones seu dissensiones inter illarum partium Praelatos, Magnates et Nobiles exortas ^(b) fuisse audivimus^(b), quae nisi componerentur illius Regni pacem et tranquillitatem facillime turbare ac plurimum obesse possint⁶. Quamobrem^{c)}, cupientes pro nostro officio et paterna erga omnes christianos, ^(d)qua illud praecipue Regnum semper prosecuti sumus, charitate^(d), quantum in nobis est, auctoritatem et partes nostras in componendis huiusmodi discordiis ^(e)ac pacando^(e) illo Regno interponere, de tua prudentia, virtute ac diligentia confisi, te Nuntium nostrum, tanquam pacis Angelum ad illas partes duximus destinandum.

Quare volumus, ut statim iter ad illud Regnum arripias, et ubi eo perverneris remque ut se habeat cognoveris, apud quos opus fuerit de sedandis seditionibus, de restituenda pace pacandoque^{e)} Regno omni studio et diligentia nostro nomine agas, operamque et auctoritatem [340v] nostram, quam super hoc tibi largimur amplissimam, in omnibus interponas, quae ad publicam illius Regni quietem (quam omnibus modis exoptamus) quomodo pertinuerint. Illa enim saepissime ad memoriam reduci a te volumus, ad quantum honoris et gloriae culmen illud Regnum, unitate et concordia roboratum, illo eo fortissimo Rege sit erectum; quot triumphis ^(f)contra hostes fidei partis^(f) decoratum, dum idem omnes sentierunt et unanimi inter se benevolentia ac voluntate conspiraverunt. Quod si illa unio Polonica, quod absit, se ipsam dissensionibus fregerit^{g)}, valde metuimus, ne tota hostibus circumvicinis, has divisiones desiderantibus, aperiatur. Si concordes fuerint, solida florebunt felicitate et Dei favorem sibi continuari prorogarique merebuntur. Recipient, quaesumus, charitate filiali paterna monita et suasiones nostras; audiant amantissimi patris ^(f)et eorum salutis cupidissimi^(f) vocem; pacemque Deo placitam, a Deo suis Apostolis relictam, semper hominibus salutarem, eo libentius [341r] amplexentur, quo nos, quamquam immeriti, vices Christi et successionem beati Petri in terris gerentes, ex parte Dei omnipotentis illam eis suademos.

Hortantes proinde eos universos et singulos, ut tibi in omnibus, quae eis super his ac aliis quoque rebus et negotiis ex parte nostra exposueris et dixeris, eandem fidem adhibeant, quam nobis ipsis adhiberent, si praesentes cum eis loqueremur. Datum Romae, a[pud] S[anctum] [Marcum, die] XII Iulii 1548, anno 14.

Blos[ius]

a-a) *Adscriptum in margine pro expuncto in textu: illius Regni Regis*
 b-b) *Suprascriptum.*
 c) *Adscriptum supra, pro expuncto: Nos*
 d-d) *Adscriptum in margine pro expuncto in textu: praecipue illud Regnum charitate.*

e) *Adscriptum supra, pro expuncto: de tranquillando*
 f-f) *Adscriptum in margine.*
 g) *Sequuntur 3 verba penitus expuncta.*

⁶ Dissensiones in mente habet exortas ex clandestino matrimonio novi regis, Sigismundi Augusti, cum subdita sua Barbara Radziwiłł (1520-1551), anno antecedenti inito (v. Kuchowicz, p. 160-189).

N. 6.

**Instructio generalis
a card. Alexandro Farnese
Hieronymo Martinengo data**

Romae, 15 VII 1548.

Salutatis ac benedictis nomine papae rege et reginis, nuntius debet: declarare eis dolorem, quem summus pontifex accepit audit a morte regis Sigismundi; novum regem adhortari, ut vestigia patris sequendo religionem defendat; referre, quo in statu sint res concilii generalis, et exhortari regem, aepum Gnesnensem (Dziergowski) et epum Cracoviensem (Maciejowski), ut mittant ad concilium aliquos viros, partes Poloniae repraesentaturos; explorare, an possit inveniri modus Moscoviam ad unitatem fidei cum Ecclesia Romana reducendi; procurare, ut supprimatur statutum de beneficiis officialibus Curiae Romanae non concedendis; admonere epum Cracoviensem, ne in praesentationibus regiis ad beneficia retractiones et mutationes praesentatorum fiant; ipsum cardinalem regi et reginis commendare.

Cop.coaeva: AV, Misc.Arm. II 93 f. 450r-453r.

- Ed.: Marani, p. 230-232 (accommodato textu ad normas linguae Italicae modernas et omissis aliquibus fragmentis, etiam alicuius momenti).

Cop. XVI saec.: BV, Ottobon.Lat. 2716 f. 82r-87r (inscripta: "Instruttione per voi Abbate Martinengo, Nuntio al Re di Polonia etc").

- Ed.: Rykaczewski I, p. 1-3 (versio Polonica, omissis aliquot partibus textus).

- Cop. XVIII saec.: Kraków, BCz, ms. 66 (Theca Naruszewiciana) p. 193-194.

Cop. XVI saec.: Simancas, AG, Estado, leg. 2002 (Berzosa1) f. 31r-32v.

- Cop. XX saec.: Kraków, BPAN, ms. 8497 (Theca Nuntiaturarum, 1) f. 3r-5v.

Cop. XVII saec.: BV, Urbin.Lat. 865 f. 320r-324v (peior).

**Instruttione
per il Sig. Abbate Martinengo, Nuntio in Pollonia
di Luglio 1548**

In prima, andando in poste, usarete diligentia nel viaggio; nel quale, per esser lungo et i tempi pericolosi, dovete però haver riguardo a la sanità. Arrivato che sarete in Pollonia, usando quella gravità che si conviene ad un ministro di Nostro Signore, benedirete il Re et la Reina et la Reina madre del Re⁷ per parte de Sua Beatitudine, consolandoli de la perdita del Re morto et allegrandovi de l'assontione sua, in conformità de brevi che portate, quali dove-

⁷ Id est reginam-sponsam Barbaram et reginam-matrem Bonam.

rete accompagnar con quelle accomodate parole che sapete fare et che la prudenza vostra vi detterà.

Satisfatto a questo primo offitio con Sua Maestà, dovete parlarle de le cose de la religione, mostrando quanta laude habbi il Re morto havuto appresso il mondo et quanto merito appresso Dio, havendo con l'esempio et pietà sua conservato quel Regno, tanto quanto ha, da l'heresie circonvicine et da gl'infedeli; et che Sua Maestà in questa parte, com'è successore nel Regno, così ancho vogli imitar le vestigie del Re suo Padre, accettando li paterni recordi di Sua Beatitudine con quello affetto d'animo, che ne le fa dire non solo il debito de [451v] l'offitio suo, ma ancho la paterna affettione ch'ella porta a la Maestà Sua et al Regno di Pollonia, del quale questa Santa Sede ha tenu-to sempre particolare protettione; ostendendovi in questa parte secondo che giudicherete a proposito et vederete esser bisogno per servitio di Dio et conservatione di quel Regno.

Di poi haverete da dar conto a Sua Maestà di tutto quello che è passato del concilio, mostrando il desiderio che Sua Santità ha sempre havuto, et ha più che mai, perché si proseguisca, et gl'impedimenti che hanno ritardato la celebratione di esso concilio. Et in ultimo essorterete Sua Maestà a mandarvi de' suoi prelati quella maggior parte che sarà possibile, o almeno alcuno, che rappresenti quella natione Pollonica, com'ha fatto non solo il Re Christianissimo et il Re di Portogallo⁸, ma molti altri Regni et provincie, non meno lontane che la Pollonia, havendo deletto che sieno persone dotte et di vita esemplare, accioché possino, in una opera così santa com'è questa, aiutare il pio desiderio di Sua Beatitudine et il servitio di Santa Chiesa. Il medesimo offitio [452r] haverete da fare con l'Arcivescovo Gnesnense et co'l Vescovo di Cracovia⁹, o con chi altri vi parrà che sia a proposito, non mancando a quelli due (a l'uno come primate di quel Regno, a l'altro come cancelliere) di dimostrare la fede che Sua Santità ha ne la bontà, dottrina et integrità loro, et la paterna affettione che le tiene, essortandoli ad abbracciare le cose de la religione, come debite a l'offitio loro et a la vocatione, ne la quale Nostro Signor Dio gl'ha chiamati.

Dovete ancho tentare se vi fosse via et modo, per mezzo di sopradetti prelati o altri di quel Regno, et principalmente con l'autorità di Sua Maestà, di poter ridurre li Moscoviti a l'obedientia de la Sede Apostolica et a la unità del resto de Christiani, come sono stati altre volte. Il che pare tanto più facile hora, quanto si trova un concilio ecumenico aperto, con l'assistentia di tante nationi christiane.

Per levar via l'occasioni de le liti et disperari tra la Sede Apostolica et quel Regno è necessario di provedere a lo statuto, che fu fatto publicato anni passati circa la libertà ecclesiastica et l'antica consuetudine di quel Regno,

⁸ Henricus II Valesius (1519-1559), rex Galliae ab a. 1547, et Ioannes III (1502-1557), rex Lusitaniae ab a. 1521. De episcopis ab eis missis et mittendis Bononiam v. Jedin GKT III, p. 106, 437.

⁹ Nicolaus Dzierzgowski et Samuel Maciejowski.

di bandire quelli che hanno beneficii, o ragioni di essi, per ressignatione de forestieri, et che forestieri non possino godere pensione¹⁰, donde sono nate liti, quante sono di presente tra [452v] Polloni istessi, con tanto scandalo de bandi fatti contra persone ecclesiastiche et vilipendio de le provisioni apostoliche et de beneficii vacati de Corte¹¹. Però havete da parlar aprima di questo capo con li Vescovi che si trovaranno in Corte et farli bene capaci de la ragione; far etiam officio co'l Re et con altri, che sarà di bisogno, mostrando sopra tutto che Sua Santità si mova a questo, non solo per conservatione de la libertà ecclesiastica, ma anco per interesse loro proprio et per quiete del Regno, al quale si può chiaramente conoscere il rispetto che Sua Santità porta in questa parte de la collatione de benefitii, essendo stata così larga in concedere gl'indulti a Vescovi che gl'hanno chiesti a Sua Santità, per le quali io non ho mancato d'intercedere appresso Sua Beatitudine, etiam state le spettative, et dipoi per la revocatione di esse.

Appresso potrete essere con Mons. di Cracovia come Cancelliere di quel Regno, acciò che si pigli qualche expediente che ne le nominationi che il Re farà de le Chiese di Pollonia Sua Maestà tenghi mano che non si facci, come per il passato, di scrivere in un modo et poi rivocarlo; et particolarmente sopra le retentioni de [453r] beneficii, che oltre che è cosa indegna, è ancho causa di molte liti. Et similmente si avverta ne lo scrivere le lettere commendatitie, perché scrivendo il Re hoggi per uno et domani contro di esso, non si sa qual sia la mente di Sua Maestà, né chi di loro si habbi a gratificar et favorire in quel si può honestamente. Et passando le lettere per le mani di Sua Signoria, ne deve essere avvertita. Questo officio lo doverete fare per parte mia, come di Protettore di quel Regno¹², essendomi a cuore l'onore di Sua Maestà et il mio proprio. Et presentando le mie lettere particolari, così al Ser.mo Re, come a la Maestà de le due Regine, dovete farli fede de la devota servitù mia verso l'una et l'altra, supplendo a quelli complimenti che giudicherete necessarii, et con loro Maestà et con li ministri, così secolari come ecclesiastici. Né altro. Di Roma, a li XV di Luglio 1548.

A[lessandro] Car[dinale] de Farnesio

¹⁰ Cfr. statutum "De revocatione Cortesanorum", editum in comitiis Cracoviensibus a. 1540 (*Volumina legum I*, p. 275).

¹¹ Casum Alexandri Sculteti in mente habet, quem, ut videtur, Martinengo ore tenus defendere in commissis habebat, vide infra, N. 14, 15, 17.

¹² Alexander Farnese fungebatur hoc officio ab a. 1544, v. Wojtyska PP, p. 258.

N. 7.

**Instructio particularis
a card. Alexandro Farnese
Hieronymo Martinengo data**

[Romae, 15 VII 1548].

In schedula huic instructioni, quam ipse scribi et sibi tradi petierat, inclusa mittit descriptionem itineris ex Tarvisio Cracoviam usque perficiendi. Nuntiat sumptum itineris ex Venetiis Cracoviam esse 6 scutorum vel circa, quibus una persona 20 dierum spatio commode deduci possit; impensam vero in commorationem nuntiorum in Polonia regem ipsum facere solere, quem si tamen Cracovia abesse acciderit, amplioribus impensis opus fore. Suadet ei, ut dona vel munera a proceribus regni nuntiis offerri solita acceptare non recuset, quibus redonare quicquam non sit necessarium praeter humanitatem. Enumerat res, quibus munerum loco uti posset, necnon vestes, quas in Polonia deferri poterit.

Cop. XVI saec.: Simancas, AG, Estado, leg. 2002 (Berzosa 1) f. 39r-40r.

- Cop. XX saec.: Kraków, BPAN, ms. 8497 (Theca Nuntiaturarum, 1) f. 6r-7v (cum mendis).

**Instructio
Card. Farnesii ad Nuntium Poloniae
super servandis in eius itinere et legatione**

Rev.de Domine.

Praesens scriptum trado Rev.dae Dominationi V.rae, non quod eo egeat, sed quod scribi et tradi sibi mandavit.

Primo habet V.ra Dominatio iter conscriptum ex Terviso¹³ Cracoviam usque, quod continebit cedula praesentibus inclusa¹⁴, unde dietas suas, quas facere volet, distinguet.

Quod spectat numerum familiae secum ducendae, id erit in arbitrio Rev.dae Dominationis V.rae; quod vero ad eius sumptum, existimo quod una persona cum equo sex scutis auri satis commode deduci poterit spatio XX dierum, vel circa, ex Venetiis Cracoviam usque, ubi est Regia sedes. Quod si Regia Maiestas cum sua curia Lithuaniae vel Podoliae versus Turcarum limites consideret, quod facile accidere posset, hoc praesertim tempore, ut Regia

¹³ Tarvisium (Tarvisio) in confinibus Italiae et Austriae.

¹⁴ Non invenitur.

Maiestas in eo principio sui dominii revidere vellet custodias ac vigilias illorum locorum, et V.rae Dominationi esset illuc eundum, amplioribus forsan impensis illi esset opus, si sumptus ex liberalitate Regiae Maiestatis subministrari solitus, non ab ingressu Regni, sed in loco Regiae residentiae solummodo subministrari solitus sit, de quo mihi non constat.

Item V.ra Dominatio habeat in consideratione, quod accidere posset Regiam Maiestatem non uti ea liberalitate erga Nuncios Principum, qua re usus est in subministrandis necessariis, accidente aliqua necessitate vel expeditione Regni, ut in eo casu V.ra Dominatio sit provisa.

Inter familiares V.rae Dominationis non esset ab re, ut essent duo ad minus, cum quibus posset confidenter de his, quae accidere solent, consultare mutuisque ac familiaribus colloquiis pro sublevando interdum animo uti. Tales autem periti rerum et aetate matura constituti esse deberent; quorum altero loco Secretarii uti possit. Idque ideo, quia Rev.dae Dominationi V.rae per varias nationes transeundum erit, quod nonnunquam vix sine molestia fieri poterit.

Et quoniam Nuntii Apostolici soliti sunt semper excipi humaniter a Regia Maiestate et Ordinibus Regni, idem procul dubio Rev.dae Dominationi V.rae eveniet. Quod si aliqui huiusmodi humanitatem et benevolentiam observantiamque suam erga Rev.dam Dominationem V.ram testificari voluerint aliquibus donis seu muneribus, V.ra Dominatio acceptet et non recuset, maxime a primis, seu primatibus, quibus non erit necessarium redonare quicquam, meo iudicio, praeter humanitatem et benevolentiam animi. Eorum vero [qui] talia nomine dictorum offerrent, habenda erit ratio pro qualitate personae, vel etiam, si videbitur, munerum. Talibus possent dari aurei annuli, cathenulae [sic] vel panni serici, pro iuppone, sagulo - pro qualitate, ut praemissum est. Non esset etiam ab re, ut V.ra Dominatio haberet secum aliquos annulos valorum X, XX, XXX, XL vel circa aureorum, medagliam [sic] aliquam, quae cappellis affigi solent. Hae, si non exposcit necessitas donare cuique, reportare illa secum poterit, vel, si voluerit coemere aliiquid in illis partibus pro usu suo vel aliorum amicorum, ut pelles sabellinas et alia huiusmodi, illa talia poterint dari in permutationem. Posset etiam V.ra Dominatio secum habere aliquot paria chirothecarum, conditarum odoriferis, quibus posset uti munusculorum loco; his praecipue, quorum frequenti familiaritate fruetur, vel quibus aliis visum fuerit.

Quo ad vestitum, sunt formae aliquot, quarum forsan gnare servire posset: una est, quae V.ra Dominatio usa est hic Romae, dum alias hic esset; altera equidem forma, sed cum bavaro; alia a la spagnola, cum bavaro, tonello [sic], manicis pendentibus. Et[iam] sottana - longa vestis, qua Prothonotarii hic in Urbe utuntur - non esset forsan inconveniens.

Haec sint arbitrii Rev.dae Dominationis V.rae.

N. 8.

**Hieronymus Martinengo
card. Marcello Cervini**

Venetiis, 24 VII 1548.

Notificat suum adventum Venetias, post molestum iter maritimum ex Ravenna factum. Dubitat regem Romanorum (Ferdinandum) liberum transitum sibi per dominia sua concessurum.

Or.: Firenze, AS, Carte Cerviniane 43, n. 153. In dorso inscriptio et sigillum.

Rev.mo et Ill.mo etc.

Hier mattina, et non prima, arrivai in Venetia, impedito (oltra l'esser poco avezzo a correre) dalla qualità de tempi caldissimi et da una burasca che mi trattenne in mare tra Ravenna et questi porti tre dì et tre notti con molta incommodità et fastidio, là ove pensavo avvantaggiar per questa via agiamente il camino. Il che mi ingegnarò far da qui innanzi. Et continuaro il viaggio, spedito che io mi sia d'alchune mie poche occurrentie necessarie che ho in questa città. Onde non ho voluto partire senza render conto di me a V.ra Signoria Rev.ma et baciarli la mano. Che sarà el fine della presente, dopo essermi humilmente raccomandato a lei. Alla quale Nostro Signore Dio conceda quanto desidera. Di Venetia, li 24^{a)} li Luglio 1548.

Di V.ra Rev.ma et Ill.ma Signoria

^(b)-Io non resterò di dire a V.ra Signoria Rev.ma che in questa terra destramente mi è stato accennato che non sarebbe gran miracolo che nelle terre del Re di Romani me fosse fatto impedimento nel passare¹⁵. Di più, sono accertato che questi Signori, per gran partito che se li offera, non piglieranno resolutione di entrare in novi capitolationi¹⁶.

humilissimo servitore
l'Abbate Martinengo^{b)}

^{a)} *Correctum ex: 23*
^{b-b)} *Autographum.*

¹⁵ Ob contentionem, ut videtur, de ducatu Placentiae, tunc inter papam et imperatorem Carolum V, fratrem regis Ferdinandi, existentem (v. Pastor SP V, p. 591-597). Hoc enim postea "per coniecturam" ex ipso Martinengo assequutus est Cracoviae informator Alberti ducis in Prussia, Stanislaus Bojanowski (v. Lanckorońska DARP VIII, p. 65). Cfr. infra, N. 10.

¹⁶ Agi videtur de senatu Veneto, qui partes summi pontificis in supranominato conflictu, una cum Gallis, sequi paratus erat (v. Pastor SP V, p. 597).

**Hieronymus Martinengo
card. Alexandro Farnese**

Vindobonae, 15 VIII 1548.

Notum facit se 12 VIII Vindobonam advenisse, tardius quam voluerit, ob difficultates, quas in itinere passus sit; die 13 VIII in venatione, ac postero etiam die post vesperas locutum se esse cum rege (Ferdinando), qui missionem suam in Poloniā commendaverit, et de indignatione Polonorum, praesertim in Polonia Maiore, ob matrimonium regis, necnon de oratore eiusdem regis (Martino Cromero) Romam misso certiorem eum fecerit. Nova refert de pompa funebri regis Poloniae mortui; de Hispanis quibusdam Vindobonae suspicantibus eum esse missum, ut rationes proprias summi pontificis protegeret; de reginis Poloniae Cracovia absentibus et fratre card. Augustani ex Polonia in Germaniam redeunte, necnon de comitiis Poloniae ad diem 18 X dilatis.

Or.: olim Napoli, AS, Carte Farnesiane, fasc. 729 (destructum).

- Ed.: Friedensburg NBD I/11 p. 379-380 (sine initio et sine fine; editor asserit hanc epistulam habuisse annotationem: "Ricevuta 11 di Settembre".

[...]^{a)} Giunsi in questa città alli 12, non con quella diligentia con la quale havevo disegnato ricompensare le poste. Et ne fu causa (oltra esser sopratutto in Venetia più di quel ch'io pensavo) la difficoltà che fuor d'ogni mio credere incontrai nel provedermi di cavalli per il Friuli, dove per questo effetto fui forzato consumare da quattro giorni. Nel resto il viaggio è stato felicissimo, salvo che due giornate di qua sopra il monte di Schandevien¹⁷, ove si cavalcava con molto sospetto di certi Boemi, quali si erano posti alla strada et hanno fatti di mali scherzi ad alcuni mercanti. Pur con la gratia di Dio passai, come ho detto, senza impedimento alcuno.

Il di seguente, che furono li 13, il Sig. Nuntio¹⁸ mi fece favore di menarmi a una caccia del Re, ove non lassai l'occasione che hebbi di far reverentia a Sua Maestà. La quale mi disse ricevermi all' hora non come nuntio, ma come maschera [sic] et persona amica. Conobbi (oltra la grata accoglienza che mi fece) che il piacer, qual vedeva dar a noi^{b)} altri, radoppiava quel che sentiva nel corso et presa de cervi.

Hieri fui al vespro di Sua Maestà et doppo satisfeci alla mia commissione, con visitar et salutar la Sua Maestà in nome di Nostro Signore, il che mostrò essergli oltra modo accetto. Et dicendogli appresso che Sua Santità

¹⁷ Schottwien (?), 80 km a Vindobona meridionem versus.

¹⁸ Prosper Santacroce (1514-1589), epus Chissamensis a 22 III 1548, nuntius apud regem Romanorum Viennae a 5 IV 1548 (usque ad a. 1550), postea SRE cardinalis (ab a. 1565).

me mandava in Polonia a condolersi con quel Re della morte del padre et a congratularsi della assuntione sua, commendò grandemente l'offitio, dicendo essere tanto più degno di Sua Beatitudine, quanto quella era et si dimostrava buon padre a tutti. In questo proposito dimandai quel che intendeva delle cose di Polonia. Risposemi che il Re si trovava in Cracovia et che vi starebbe anchora buon pezzo; inoltre che in quel regno era intrinsecamente mala satisfactione di questo matrimonio, ma che la Polonia maggiore se ne scopriva peggio contenta, talmente che alcuni di quei populi osavan dire che se Sua Maestà non se ne removeva, non lo volevano conoscere per loro Re. Mi confermò anchora quel che di già havevo inteso da Mons. Nuntio, cioè che di qua era passato un Ambasciatore del predetto Re per Roma, il quale poteva a quest' hora esservi agitatamente arrivato¹⁹. Cosa che non ho mai inteso per cammino, anchorché in Venetia parlassi con molti Poloni. Rallegrami che l'opera mia non habbia ad essere necessaria in quello offitio, qual deve venire a fare con Sua Santità il predetto oratore.

Ho anche inteso che l'apparato et pompa funerale delle esequie del padre, fatte celebrare da Sua Maestà è stata grandissima, sì come la Signoria V.ra Rev.ma et Ill.ma può per ventura esser raguagliata dal proprio Ambasciatore et di questa et d'ogni altra particularità ch'io gli sapessi dire delle cose di quel regno, verso il quale io mi inviarò, se non hoggi, al più lungo dimane [...]^{a)}. Di Vienna, li 15 d'Agosto 1548.

(c)-Non resterò di dire a V.ra Signoria Rev.ma che questi Spagnoli di Corte stanno spiando questa mia andata; et facendovi commenti sopra, dicono che non può essere che Nostro Signore non me mandi per aiutarse da ogn banda contra chi tiene querela. Et vengono anche a maggiori particolari²⁰. Inoltre la Regina nova se trova in Lituania²¹, et la vecchia doveva partire per Massovia²²; et il fratello del Card. d'Augusta, che era andato alle esequie del Re morto per nome de Imperatore²³, era di ritorno. El convento che era inditto per il giorno di San Lorenzo, è stato differito fin Santo Luca²⁴ [...]^{a, c)}.

^{a)} *Hic adest apud Friedensburg signum omissionis.*

^{b)} *Friedensburg legit: doi
c-c) Autographum.*

¹⁹ Martinus Cromerus (Kromer, 1512-1589), eximius bonarum litterarum cultor, secretarius regius ab a. 1544, orator Sigismundi Augusti ad Paulum III (postea epus Varmiensis), venit Romam 25 VIII 1548. De negotiis, quae Romae confidere debebat, v. infra, N. 16 (de integra missione v. Wojtyska PP, p. 304-313).

²⁰ Agi videtur de dissensionibus inter summum pontificem et imperatorem, de quibus supra, in N. 8, annotatione 15.

²¹ Barbara Radziwiłł commorabatur tunc Vilnae (cfr. Kuchowicz, p. 175).

²² De commoratione reginae Bonae Varsaviae vide infra, N. 16 et 17.

²³ Gulielmus Truchsess Iunior (1518-1566), frater card. Ottonis Truchsess, orator imperatoris Caroli V.

²⁴ Comitia generalia Poloniae, convocata Petricoviam primum ad diem 10 Augusti (festum S. Laurentii), dilata deinde ad diem 18 Octobris (S. Luciae Evangelistae), tandem coepta sunt die 31 Octobris et celebrata usque ad diem 12 Decembbris 1548 (v. Konopczyński, p. 59).

N. 10.

**Hieronymus Martinengo
card. Marcello Cervini**

Vindobonae, 15 VII 1548

Notum facit se esse Vindobonae a 12 VII; regem (Ferdinandum) contentum esse de sua in Poloniam profectione. Oratorem regis Poloniae (Cromerum) iam Romam pervenisse putat. Colloquium suum cum nuntio Vindobonae (Santa-croce) refert, cui quod habuit in mandatis se exposuisse dicit.

Or.: Firenze, AS, Carte Cerviniane 43 n. 154. In dorso inscriptio, sigillum, et alia manu summarium ac: "Resposta a XIII".

Rev.mo et Ill.mo etc.

Ritrovomi dalli XII in qua in Vienna, dove ho satisfatto allo offitio che io dovevo fare in nome del Nostro Signore col Re²⁵, al quale è stata gratissima la visita et le [sic] saluti di Sua Santità. Et commenda anche grandemente quello ch'io vado a far co'l Re di Polonia. Il quale, Sua Maestà mi ha detto, esser in Cracovia, ove starà buon pezzo. Così io harò ventura di non haver a distendermi più oltre di quel che dubitavo, essendosi detto che la Sua Maestà passava in Lituania²⁶.

Ho similmente inteso che a quest' hora può esser arrivato a Sua Santità un Ambasciatore del prefato Re, del quale non ho havuto mai sentor alchuno per strada²⁷. Onde a me par superfluo scriver a V.ra Signoria Rev.ma quello che di già può haver più particolarmente udito delle cose di Polonia.

Parlai con Mons. Nuntio²⁸, secondo il memoriale ch'ella mi fece dare. La Sua Signoria mi dice esser instruttissimo et ricordevole del tutto, sì come penso che ne scriverà più a pieno a lei medesima²⁹. Per questo io non la tediardò co' più lunga lettera. Solo mi raccomando humilmente in sua buona gratia, et tra tanto ch'io seguitarò el mio cammino, che sarà al più lungo domane, pregarò Dio che gli conceda quanto desidera. Di Vienna, li XV di Agosto M.D.XLVIII.

D[i] V.ra Signoria Rev.ma et Ill.ma.

²⁵ Ferdinandus.

²⁶ Re vera Sigismundus Augustus commorabatur Cracoviae a die 1 VI usque ad 13 VIII 1548, v. Ga-siorowski, p. 268.

²⁷ Martinus Cromerus, vide supra, N. 9.

²⁸ Prosper Santacroce.

²⁹ Santacroce, in epistula, quam eo ipso die 15 Iulii ad card. Alexandrum Farnese scripserat, nullam huius secretæ rei facit mentionem, v. Friedensburg NBD I/11, p. 378-379.

(a-Sig. Nuntio, mostrandose memorissimo del successo de la causa de la prepositura Eugubina³⁰, me levò la fatica di farlo capace dentro. Et me dice scriverne a bastanza a V.ra Rev.ma Signoria, et secondo la verità et desiderio di V.ra Signoria farne ampio et ricco testimonio a Signori di Rota, sì che me ne rimetto alle lettere sue.

humilissimo servitore
l'Abbate Martinengo^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

N. 11.

**Hieronymus Martinengo
card. Marcello Cervini**

Cracoviae, 24 VIII 1548.

Notum facit se die 23 VIII venisse Cracoviam, sed regem ibi non invenisse, qui ante comitia, Petricoviam ad diem 18 X convocata, nullum oratorem exterrorum recipere desiderat; ideo scripsisse se epo Cracoviensi petuisseque, quid interea facere debeat. Refert, quod in Polonia, etsi matrimonium regis multis displiceat, pacata sunt omnia, et quod nullas novitates ab oratore ducis Ferrariae, a rege redeunte, habere potuit.

Or.: Firenze, AS, Carte Cerviniane 43, n. 155. In dorso inscriptio, sigillum et alia manu: "1548. Cracovia, L'Abbate Martinengo, delli 24 d' Agosto. Ricevuta a 19 del Ottobre, resposta a 20".

Cop. XVIII saec.: Kraków, BCz, ms. 1603 f. 24r-v.

Rev.mo et Ill.mo Signore etc.

L'ultime mie furno [sic] di Vienna delli XV, per le quali V.ra Signoria Rev.ma et Ill.ma potrà haver inteso di quanta sodisfattione fusse al Re de Romani l'offitio che io feci con Sua Maestà in nome di N.ro Signore, et quanto commendassi quello che venivo a fare con questo Re³¹.

Giunsi poi hieri in Cracovia, accompagnato per la maggior parte della via da una pioggia et un tempo così brusco, come si sia costì nel maggior verno.

³⁰ Agitur de beneficio, quod Santacroce, ad episcopatum evictus, alicui suo familiari vel amico cessit, de quo postea in Romana Rota contendebatur.

³¹ Vide supra, N. 10.

Et quel che più mi spiacque, trovai che il Re e la Regina³² erano partiti di qua molti giorni inanzi: l'uno è lontano cento, et l'altra dugento [sic] miglia delle nostre³³. Et per quel che io intendo, il Re se ne va a suoi spassi et diporti, ove par che non voglia appresso alcuno di negotio, et senza speranza di lassarsi riveder prima che al convento in Petricovia, che cominciarà a San Luca³⁴. Similmente il Vescovo di Cracovia era anche lui partito, et ritrova si ad un suo luogo³⁵ per appressarsi poi a Sua Maestà. Onde ritrovandomi qui in dubbio di quello ch'io dovesse fare, non ho trovato migliore expediente che di far sapere la venuta mia al predetto Vescovo, ricercandolo di quanto gli pareva conveniente ch'io faccia in questa absentia di Sua Maestà. Et così aspetto tra due giorni la sua risposta, et dubito che sarà necessario ch'io soprasegga qui tanto che sia tempo et luogo di poter negoziare.

Per quel che io ho potuto vedere et indendere, le cose di questo Regno passano quietamente et con tutto che ci sia qualche mala satissfatione [sic] di questo Matrimonio. Imperò non se ne è veduto né sentito in parte alcuna segno estrinseco.

Lontano di qua cinque di queste miglia scontrai l'Ambasciatore del Sig. [v] Duca di Ferrara³⁶ che se ne tornava da Sua Eccellenza, dal quale similmente non ritrassi cosa degna d'avviso. Alla giornata spero scrivere più copiosamente. Et tratanto (non havendo altro) mi raccomando *etc.* Di Cracovia, li XXIII di Agosto M.D.XLVIII.

D[i] V.ra Ill.ma et Rev.ma Signoria

(^a-Humil.mo servitore
l'Abbate Martinengo^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

N. 12.

**Samuel Maciejowski, epus Cracoviensis
Hieronymo Martinengo**

Severiae, 24 VIII 1548.

Moleste fert, quod proiectus Czestochoviam ad explenda vota, ipsum Cracoviae recipere non potuit. Consulit ipsi, ut parum illic subsistat, donec a rege responsum habebit; interea vero hospitium in possessionibus suis ipsi offert.

³² Reginam Bonam in mente habet.

³³ Sigismundus Augustus commorabatur tunc Radomiae (v. infra, N. 17 et Gąsiorowski, p. 268); regina Bona vero Varsaviae (v. infra, N. 17).

³⁴ 18 Octobris. Cfr. supra, N. 9.

³⁵ Samuel Maciejowski commorabatur tunc in Siewierz, arce episcoporum Cracoviensium, in confinibus cum Silesia sita, v. infra, N. 12.

³⁶ Ruggieri?, de quo referabat Vindobona nuntius Santacroce, v. Friedensburg NBD I/11, p. 389.

- Cop. XVI saec.:** Simancas, AG, Estado, leg. 2002 (Berzosa 1) f. 37r-v. In margine summarium epistulae, eadem manu exaratum.
- **Cop. XX saec.:** Kraków, BPAN, ms. 8497 (Theca Nuntiaturarum, 1) f. 8r-9r.

Lettera del Vescovo di Cracovia
al Martinengo, Nuntio Apostolico etc. in Polonia

Rev.me Domine. Magnam ex eo molestiam accepisse te, quod neque Maiestatem Regiam, neque me, Dioeceseos istius Episcopum^{a)}, Cracoviae repperis, mihi quidem dubium non est, sed certe non minus ea^{b)} res mihi quoque molesta accidit, quod sub id tempus isthinc discesserim, quo tu venturus eras. Si id scissem, nunquam pedem isthinc movissem. Sed ita accidit, ut cum per paucos dies graviter ex febre laborassem, votum nuncuparem Divae Virgini Gostochorviensi^{c)}, cuius persolvendi causa, simul ut paululum ex morbo recreatus sum, cum de adventu in Civitatem istam tuo nihil prorsus allatum esset³⁷, in has oras me contuli. Et quoniam non longe absum ab eo loco, ubi Diva Virgo religiose colitur, coeptum iter me prosequi necesse est³⁸. Doleo vehementer in ea Civitate, cuius ego sum Episcopus, me praesentem non adesse, neque eum, quem debedo, Ss.mi Domini Nostri Legato honorem isthic me praestare posse. Sed quando ita cecidit, peto ab te, ut absentiam hanc meam boni consulas.

Quod verum consilium a me tibi dari vis, quid porro faciendum tibi sit, aliud consilium quod dem non^{d)} habeo, quam ut paululum isthic subsistas. Et si autem non dubito, quin per alios iam renuntiatum sit Maiestati Regiae de adventu isthic tuo, misi tamen ego quoque tabellarium meum, per quem [37v] hac ipsa de re certior Maiestas eius fieri posset. Quicquid illi visum fuero, id esse faciendum tibi censeo. Est quidem ita, quod eo in oppido nunc est Maiestas eius, sic rationibus eius flagitantibus, in quo pro dignitate tua parum commode excipi poteris³⁹. Sed si tamen ea sententia fuerit Regiae Maiestatis, ^{(e-}proficiscendum eo erit^{-e)}. Vellem autem per possessiunculas meas iter^f te facere, ubi dabitur a me opera, ut omnia tibi praestentur humanitatis officia. Quod ut facias, etiam atque etiam abs te peto. Posteaquam illuc perveneris, ubi adventum tuum expectare decrevi, ipse te ad Maiestatem Regiam comitabor atque omnia faciam, ut officium studiumque meum tibi non defuisse cognoscas. Interea vero dedi negotium Canonicis isthic meis, ut te meis verbis quam officiosissime^{g)} salutarent, adventum gratularentur, atque omnibus humanitatis officiis prosequerentur. Quem cum^{h)}

³⁷ Quod non est verum, iam enim 22 VIII 1548 secretarius eius, Stanislaus Hosius, scribebat Martino Cromero: "Częstochowiam religionis proficiscimur [...]. Audio proficisci hic legatum quendam, hominem saecularem. Gaudent, qui villis abbatum inhiant, cum esse monachi nolint, sperant enim se quoque fore abbates" (Hipler-Zakrzewski I, p. 269).

³⁸ Siewierz distat a Częstochowa 40 km.

³⁹ Rex tunc commorabatur Radomiae (v. supra, notam 33), oppido distante 200 km a Cracovia versus Varsaviam.

his recte valere optoⁱ⁾. Ex Siewier' Arce nostra, XXIIII Augusti, Anno Domini M.D.XLVIII^{j)}.

V.rae Dominationis

frater obsequentissimus
Samuel, Episcopus Cracoviensis
et ^{k)}Regni Poloniae^{-k)} Cancellarius etc.

- a) *In ms.:Episcoporum*
- b) *In ms.:eas*
- c) *Recte:Częstochoviensi*
- d) *Sequitur repetitum:non*
- e-e) *In ms.: profiscendum coerit*
- f) *In ms.:inter*

- g) *In ms.:officiosissimae*
- h) *Sequitur expunctum: ipse*
- i) *In ms.: ope*
- j) *In ms.: M.D.XLIII*
- k-k) *In ms.:R.E.*

N. 13.

Sigismundus Augustus, rex Poloniae
Paulo III, pontifici maximo

Sandomiriae, 5 IX 1548.

De consolatione ob mortem patris, gratulatione ob ascensionem ad regnum necnon de hortationibus, ut eius vestigiis insequatur, per nuntium Martinengo allatis, gratias agit. De concilio vero responsum suum separatim nuntio dedit affirmat, hortatur tantum, ut, disceptationibus de loco illius congregandi postpositis, prosequatur.

Or.: Parma, AS, Carte Farnesiane, Estero, Polonia 119 n. 42. In dorso inscriptio et sigillum.
- Ed.: Meysztowicz-Wyhowska I, p. 40-41.

Beatissime Pater et Domine, D.ne clementissime. Post oscula etc.

Reddidit mihi Rev.dus Pater, Abbas Martinengus, V.rae Sanctitatis litteras, quibus et consolari me de obitu divi parentis mei et gratulari, quod ad Regni quondam illius gubernacula accesserim, et hortari simul dignata est, ut per illius vestigia pietatis incedam⁴⁰. Credibile non est, quantum ex iis litteris et ex Nuncio [sic] Sanctitatis V.rae, qui litterarum humanitatem ora-

⁴⁰ Vide supra, N. 2.

tione sua mirifice subsequebatur⁴¹, consolationis acceperim. Nulla maior ad ferri potuit moerori meo levatio, quem ex morte divi parentis mei gravissimum hauseram, quam fuit ea, quam epistola V.rae Sanctitatis, quamque mihi nunctius illius attulit. Sed et gratulatio Sanctitatis V.rae, quod in Regnum divi parentis mei successerim, valde mihi grata accidit. Paternum illius erga me animum cernere visus sum, sive dum consolatur, sive dum gratulatur, sive dum hortatur, ut tanquam bonae arboris germen, optimos paternarum laudum fructus Sanctitati V.rae referam et producam. Quod ego pro virili mea sedulo me facturum promitto. Quod si paternas virtutes assequi non licebit, ut proxime tamen ad eas accessisse videar, omni ope contendam et elaborabo ac in aliis quidem superiorem fuisse divum parentem meum patiar, studio vero erga Sanctam Sedem Apostolicam et in tuenda fide catholica constantia nunquam committam, ut illo posteriores tulisse videri possim. Hoc sibi certo de me Sanctitas V.ra polliceri potest, non fallam opinionem illius.

Quae communicat mecum verbis Sanctitatis V.rae nunctius eius de eo, quo in statu sit negotium universalis concilii, etsi parum iucunda, grata mihi tamen fuerunt. Cui cum scripto responderim, eadem illa iterare supervacaneum visum est. Ex eo enim responso, quod illi meo nomine datum est, quae sit sententia mea, facile Sanctitas V.ra cognoscet⁴². Quam iterum atque iterum supplex oro et obtestor, ut horum perturbatissimorum temporum rationem habeat ac pro ea cura, quae illi a Deo mandata est, diligenter provideat, ne dum de loco concilii habendi disceptatur, locus amittatur Reipublicae Christianae racionibus consulendi. Nam quibus malis mederi debet Sanctitas V.ra, ea serpunt in dies longius et latius radices figunt, quam ut evelli postea sine magno negotio possint. Deum precor, ut Sanctitatem V.ram longissimo tempore servet incolumem et omni genere felicitatis cumulet. Cui me atque omnia ea, quae ab obsequenti filio benemerenti patri debentur obsequia, diligenter commendando. Datum Sandomiriae, die quinta Septembris, anno Domini MDXLVIII, Regni et dominiorum meorum XIX.

Eiusdem Sanctitatis V.rae

obsequentissimus filius
 (a-Sigismundus Augustus
 Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae
 manu propria subscrispsit-a)

a-a) Autographum.

⁴¹Desideratur.

⁴²Vide infra, N. 14.

N. 14.

Responsum

**nomine Sigismundi Augusti, regis Poloniae
Hieronymo Martinengo datum**

Sandomiriae, 6 IX 1548.

Rex gratias agit summo pontifici pro iis, quae nuntius exposuit, et vestigiis patris sui incedere promittit. Gratum sibi fuisse etiam de concilli oecumenici statu nova cognoscere, ad quod ut episcopi Poloniae proficiscantur, per eos stare dicit, se vero oratores suos, qui in comitiis praeteritis ad Tridentum designati fuerint, Bononiam mittere non posse sine futurorum comitiorum consensu. Petit tamen ut, disceptationibus de loco postpositis, concilium continuetur et concludatur. Laudat propositum summi pontificis, ut Mosci ad unitatem fidei reducantur, sed, cum inimicitiae inter se et illos intercedant, quomodo id faciat se nescire. Ad poenitentiarii (in basilica S. Petri Romae) munus aliquem idoneum sacerdotem se mox propositurum promittit. Statutum de amovendis curialistis Romanis a beneficiis Polonicis, a comitiis editum, a comitiis tantum derogari posse affirmat; Alexandro Sculteti, in gratiam card. protectoris (Farnese), salvum conductum concedit, de canonicatu eius cum epo Varmensi tractandum remittit, sed ut decreta contra eum a patre emanata scindantur, filio indignum esse putat. Marcum Antonium Maffei libenter in advocatum regni sui in Curia Romana accipit.

Cop. coaeva: Firenze, BNC, II-II 379 f. 808r-810v (confecta ex originali ad usum Concilii, contenta fasciculo inscripto: "Responsum Regis Poloniae ad Paulum III in causa Concilii" (f. 807r-812v).

- **Ed.:** Ciampi BC II, p. 29-31.

Reg.: Warszawa, AGAD, Lib.Legat. 12 f. 31r-35v (registratum in cancellaria regia sub titulo: "Responsum Hieronimo Martinengo, nuncio Apostolico, datum Sandomiriae VI Septembris A.D. 1548").

Responsum

Oratori Ss.mi Domini, D.ni Pauli, divina providentia Papae III,
a Sacra Regia Maiestate datum

Quae renuntiari fecit Ss.mus Dominus Noster de paterna sua benevolentia erga Maiestatem hanc Regiam, quod eam filii loco semper habere, quodque omnia officia praestare velit, quae a patre filium sperare et expectare par est, ea, etsi antea quidem obscura minimeque nova, cum primis tamen Maiestati eius auditu grata fuerunt et iucunda. Nunquam dubitavit Maiestas eius, quin quo fuit animo Sanctitas eius erga parentem suum, qui non ita pridem in Christo obdormivit, eodem erga se quoque semper futura esse,

cum praesertim deliberatum sit prorsus Maiestati Regiae, Christo conatum eius adiuvante, quem sui nominis gloria totum terrarum orbem implevisse ac tam gratam sui memoriam apud cunctos reliquisse videt, parentis sui vestigia in omnibus persequi, ut eam non Regni magis quam laudatissimorum illius morum haeredem et successorem esse cognoscant et laetentur omnes. Itaque, cum illa^{a)} Maiestas eius pro virili sua faciet semper, quae laudem et approbationem hominum in divo parente suo meruisse perspicit, tum illud imprimis curabit, ut studio et observantia erga Sanctam Sedem Apostolicam illi minime concessisse neque secundus fuisse iudicetur; quin etiam, si quis ad [808v] studium illud primum recessioni locus erit, ut illud superasse etiam videatur, omnibus viis et rationibus contendet et elaborabit, neque ullum unquam obsequentis in se filii officium requiri patietur.

Quae vero de statu Oecumenici Concilii Sanctitas eius cum Regia Maiestate communicare dignata est, ea quoque gratum illi fuit cognoscere; idque tanto magis, quod cum pro partium studio varia ea de re perlata essent, nihil in hunc usque diem certi cognoverit. Quamobrem gratias agit Ss.mo Domino Nostro Maiestas Regia, quod iis de rebus certiorem facere voluerit. Facile Maiestas eius omni culpa Sanctitatem eius liberat, de qua iam pridem persuasum id habet, quod publicas Ecclesiae rationes longo intervallo privatis suis anteponat; neque alia de re magis anxia sit et sollicita, quam ut motus istos tranquillare ac sedare tempestates queat, quibus mergenda nunquam Petri navicula vehementer iactari nunc et agitari videtur. Quam ad rem si quid opis ipsa quoque Maiestas eius adferre possit, non committet, ut studii quicquam, laboris et diligentiae praetermississe videatur.

Quod Regni huius Episcopis non impedit Maiestas Regia, quominus ad concilium vocati, qui velint, quando velint, quo velint proficiscantur, scit illa disiuncta esse Regnum et Sacerdotium: ad Reges Palatia, ad Episcopos Ecclesias pertinere. Quare quae muneris eorum sunt, in ea se non ingerit, neque quicquam eorum sibi Maiestas eius usurpat. Per illam licet, [809r] ut suis officiis libere fungantur. Quamobrem hactenus profecti non sint, reddent illi rationem, cum postulati fuerint. Hoc Maiestas eius tuto potest affirmare: neque per se, neque per divum parentem suum stetisse, quominus proficiscerentur; dummodo ne quid in concilio, absentibus Regni Nuntiis, decerneretur, quo Regnum hoc gravari videretur.

Quod vero postulat Sanctitas eius ab ipsa quoque Regia Maiestate et a Regno eius mitti Nuntios, qui et Maiestatis eius et Regni totius personam sustineant, memoria tenet Regia Maiestas: in maioribus Regni comitiis, qui ad concilium proficiscerentur, designatos fuisse⁴³ et iam eos in viam se dare voluisse, cum allatum est Tridento Bononiam concilium esse translatum. Quod quoniam iterum Bononia Tridentum translatum iri credebatur, quod

⁴³ In comitiis Cracoviensibus, mense Martio a. 1547, electi erant oratores regni ad concilium: Ioannes Drohojowski, epus Chelmensis, et Stanislaus Łaski, palatinus Siradiensis. Eorum designationem notificabat summo pontifici aepus Dzierzgowski epistula data 15 IV 1547 (ed. Wierzbowski U, III, p. 15).

minus multi Bononiam venire dicerentur, ea res cunctandi causam dedit iis, qui erant a divo parente Regis Nuntii designati, qui sibi tantisper expectandum esse duxerunt, dum certius aliquid de Concilii loco statueretur. De quo quoniam ne nunc quidem satis inter omnes convenit, quid porro faciat Maiestas Regia, statuere non potest. Ad Regni sui maiora comitia referendum censem, ubi deliberationem ea de re cum ordinibus Regni suscipiet ac quoad poterit efficere conabitur, ut satisfieri Ss.mi Domini Nostri voluntati queat, cuius auctoritatem libenter agnoscit Maiestas eius, et agnoscat semper. Quicquid autem in maioribus Regni comitiis decretum erit, aut per Nuntium suum, aut per litterass Ss.mo Domino Nostro significabit. Sed ita suos [809v] animatos esse videt Maiestas Regia, ut adductos iri non putet, quo Bononiam mitti Nuntios permittant. Quamobrem etiam atque etiam rogat Sanctitatem eius Maiestas Regia, ut provideat pro officio suo, ne dum de Concilii loco disceptatur, maiores in Ecclesia motus existant. Conveniat cum Caesarea Maiestate⁴⁴. De eius assenso quicquid statuerit Sanctitas eius, in eo facile Regia Maiestas cum omnibus Regni sui ordinibus aquiescat. Quod si vero inter Sanctitatem eius et Caesaream Maiestatem de Concilii loco non convenerit, perspicit Maiestas Regia maiores tempestates excitatas iri, quam quae sedari facile possint. Ad quas tranquillandas iterum atque iterum Sanctitas eius defert operam suam, sed quoniam vicinum malum serpit in dies longius et ad terras etiam Regiae Maiestatis permanasse iam videatur, etiam atque etiam supplicat Sanctitati eius Regia Maiestas, ut mature occurrat. Occurrendi autem ratio alia non est, quam ut sublata de loco disceptatione, primo quoque tempore Concilium celebretur. In quo celebrando, si qua mora longior erit interposita, necesse habebit Regia Maiestas, cum vicina mala radices in Regno suo in dies altius agere videat, aliquid constituendum curare, quod ad pacandas suorum conscientias et ad unitatem quoquo modo retinendam videbitur pertinere. Qua tamen de re nihil Maiestas eius, nisi auctoritate Ss.mi Domini Nostri, quam summam esse in ea re, et cuius proprium hoc esse munus scit, statuere decrevit.

Quod vero de Moscis quoque Sanctitas eius tam est solicita, ut ad Ecclesiae corpus redeant, laudat Maiestas eius [810r] vehementer tam sanctum illius institutum. In hoc enim plane ostendit se illius esse vicarium, qui de coelo in terram descendere, carnem nostram indui et in ea cruciatus varios, mortem ad extremum ipsam perferrere dignatus est, non aliam ob causam, quam ut filios Israel, qui erant dispersi, congregaret in unum⁴⁵. Caeterum ii non modo non sunt in officio potestateque Maiestatis Regiae, verum etiam infestis erga eam animis esse videntur. Itaque non videt Maiestas eius, qua ratione pios conatus hos Sanctitatis eius adiuvare possit

Quod Regni Poenitentiarium attinet, quandoquidem de quibus scripsérat divus parens eius Maiestatis ex quorundam commendatione, ii minus

⁴⁴ Carolo V.

⁴⁵ Ioan. 11, 52.

idonei sunt reperti, dabit operam suo tempore Maiestas Regia, ut vir dignus, gravis et doctus reperiri queat, qui recte munere^{b)} hoc fungi possit⁴⁶.

Quod petit Nuntius Apostolicus, ut statutum de proscribendis iis, qui iure cortezanico in Regno utuntur, certis in casibus abrogetur, de eo Sacra Maiestas Regia in praesentiarum nihil statuere potest, nam quae communi consensu omnium ordinum in comitiis constituta sunt, ea extra comitia Regiae Maiestati abrogare non licet. Itaque in Regni comitiis ea de re agi necesse erit⁴⁷. De Alexandro Sculteti faciet Regia Maiestas in gratiam Rev.mi D.ni Cardinalis Protectoris⁴⁸, ut ei publicae fidei litteras, quem salvum conductum vocant, dari iubeat⁴⁹. Ut antea rescindat divi sui parentis decretum, fas illi esse non videtur⁵⁰. Multo minus autem [810v] licere sibi Maiestas eius intelligit, ut qui ex provisione Ss.mi Domini Nostrri possessionem canonicatus illius, quem Varmiensis nactus est, eum deturbatum atque Alexandrum restitutum esse velit⁵¹. Alterius haec iurisdictionis sunt, in qua se Regia Maiestas non ingerit. Ut autem restitui Regia Maiestas mandet, quae praeterea possessiones Alexandro ademptae sunt, sive etiam quae alia bona ipsius mobilia donata aliis sunt per paternam Maiestatem⁵², id quoque non videt Maiestas eius, quemadmodum rite a se fieri possit, cum praesertim iureirando se obstrinxerit, quod acta divi sui parentis omnia, privilegia, donationes, non modo nolit rescindere, verum etiam confirmare velit, ratificare et approbare. Nihilominus aget Maiestas eius cum D.no Episcopo Varmiensi⁵³, et quoad fides et religio illius patietur, Rev.mo D.no Cardinali Protectori liberenter gratificabitur.

De fratre Rev.mi D.ni Bernardini Maphei, Epi Massanensis, faciet Maiestas Regia tanto libentius quod a se postulari videt, quanto virtutem D.ni Bernardini plurium testimoniis commendatam habet, ex qua minime deflexisse fratrem eius confidit. Itaque nullo libentius quam ipso Regni sui Advocato utetur⁵⁴. Etc.

a) In ms. Florentino: alia

b) In ms. Florentino: monere

⁴⁶ Haec commissio non erat inclusa in instructione, v. N. 6. Designatus postea est Albertus Siemkowski (Sigismundus Augustus ad Alexandrum Farnese, 12 VIII 1549, Wojtyska PP, p. 428).

⁴⁷ Cfr. supra, N. 6.

⁴⁸ Alexandri Farnese.

⁴⁹ Litterae salvi conductus datae erant Sculteto die 7 IX 1548, v. Theiner VMPL II, p. 562-563.

⁵⁰ Decretum bannitinis, ob haeresim, in quam Scultetus lapsus erat, mense Maio 1540 latum, rex Sigismundus I die 5 VI 1541 confirmari a summo pontifice petabat (v. Meysztowicz-Wyhowska I, p. 8-10). Fusius de "casu" haeresis, bannitionis, fugae Romam et defensionis in Curia Alexandri Sculteti († 1564) v. Barycz PSR, p. 99.

⁵¹ Canonicatum, quo privatus est Scultetus, potitus est a. 1545 Caspar Hannow (1519-1571), epi Varmiensis Ioannis Dantisci ex sorore nepos, parochus in Frombork (alias Varmiensis).

⁵² Vi decreti de bannitione.

⁵³ Joanne Dantisco.

⁵⁴ De Marco Antonio Maffei (postea nuntio in Polonia, v. infra), quem card. viceprotector Bernardinus Maffei, loco mortui Achillis, alterius eius fratris, advocatum regni Poloniae a rege designare cupiebat, deque officio huiusmodi advocati, v. Wojtyska PP, p. 297-300. Notandum est hanc commissionem non inveniri in instructione Martinengo data, cfr. N. 6.

**Stanislaus Hosius, secretarius regius
Ioanni Dantisco, epo Varmiensi**

Sandomiriae, 7 IX 1548.

Notum facit venisse nuntium Martinengo, ut causas concilii Bononiam transferendi explicaret. Suspicatur tamen veram rationem eius adventus fuisse statuti de proscribendis curtaianis, et praesertim Alexandro Sculteti, derogationem. Recenset colloquium suum cum nuntio de haeresi istius et a regno bannitione. Petit, ut - nuntio ita postulante - ipse et nepos eius Caspar (Hannow) causam inter Scultetum et ipsos intercedentem describant.

Autogr.: Olsztyn, ADWO, D 19 n.85. In dorso inscriptio, sigillum et alia manu:
"prima Octobis Anno XLVIII".

- Ed.: Hippler-Zakrzewski I, p. 270.

Rev.me Domine, D.ne colendissime, officiosissimam servitutis meae commendationem.

Venit huc nuntius apostolicus, Abbas quidam Martinengus, homo mere saecularis. Legationis praetextus fuit hic, ut causas diceret quamobrem Concilium Bononiam translatum esset, ac eo legatos mitti postularet. Sed ego suspicor a Curtisanis⁵⁵ conductum fuisse, ut huc veniret: neque enim alia de re ulla diligentius egit, quam ut abrogaretur statutum de proscribendis Curtisanis⁵⁶; tum et nomine Cardinalis Protectoris⁵⁷ restitui Alexandrum⁵⁸ postulavit, non modo in Patriam, verum et ad sacerdotia et in bona omnia, quae illi adempta fuerunt. Responsum est salvum conductum datum iri; ut restituatur ad Canonicatum, non esse id Regiae potestatis, quod ea se non ingerit in iurisdictionem alienam; deinde vero, cum iureiurando se Regia Maiestas obstrinxerit, quod acta, privilegia, donationes paternas et id genus alia rata sit habitura, non licere sibi contra iusiurandum suum aliquid facere, sed se tamen ad Rev.dam Dominationem V.ram ea de re scripturam et eius consilio usuram. Reliqua omnia ad comitia sunt reiecta⁵⁹.

Dixit Martinengus hic bis Alexandrum absolutum fuisse: semel ab auditore, iterum a Cardinalibus. Cui ego respondi, quantum memoria tenere potui, quod prior illa absolutio nulla fuerit, a Cardinalibus vero iussus fuerit haeresim abiurare, quod etiam fecerit. Post abiuratam haeresim denuo voca-

⁵⁵ Sic vocabantur Poloni, qui in Curia Romana degebant.

⁵⁶ Vide supra, N. 6.

⁵⁷ Alexandri Farnese.

⁵⁸ Sculteti.

⁵⁹ Vide supra, N. 14.

tus in iudicium sit tanquam relapsus⁶⁰. Quid porro statutum de eo sit, mihi non constare. Vellem adesset D.nus Caspar⁶¹, facile sermones eius refutas- set. Haec ego Rev.dae Dominationi V.rae scribenda putavi. Instructionem, quae data est ad comitia, mittet Rev.dae Dominationi V.rae D.nus Palatinus Marienburgensis⁶². Deum praecor, ut Rev.mam Dominationem V.ram diu servet incolumem et felicem. Cuius me gratiae commendo. Sandomiri[ae], pridie Natalis Divae Virginis.

Eiusdem Rev.dae Dominationis V.rae

servitor deditissimus
Stanislaus Hosius
Cantor et Canonicus Varmiensis.

(a-Rev.de Domine, D.ne colendissime. Nuntius Apostolicus iussit sibi describi, quomodo res acta sit cum Alexandro. Quod quoniam Rev.da Domina- tio V.ra cum nepote suo, D.no Caspare, melius novit quam alius quispiam, vehementer cuperem, ut ipsa describi faceret et descriptum huc primo quoque tempore mitteret. Puto enim aliquot hebdomadas eum in Regno commo- raturum, nam profectus est ad Maiestatem Reginalem⁶³, inde ad D.num Ar- chiepiscopum⁶⁴. A quo cum discesserit, huc ad Rev.mum Dominum⁶⁵ redire cogitat^{a)}.

a-a) *In folio adiuncto.*

N. 16.

**Card. Alexander Farnese
Sigismundo Augusto, regi Poloniae**

Romae, 14 IX 1548

Notum facit adventum oratoris eius, Martini Cromeri, papae gratissimum fuisse, qui orator ipse renuntiaturus sit, quid ad mandata eius et de causis dif-

⁶⁰ Haec purgatio et abiuratio Sculteti Romae facta est a. 1541, sed novis argumentis a rege Sigis- mundo porrectis (v. supra, annotationem 48), iterum in arcem S. Angeli Romae detrusus est, ibique de- tentus usque ad liberationem, quam card. Alexandre Farnese intercedente a. 1544 obtinuit (v. Barycz PSR, p. 99).

⁶¹ Caspar Hannow.

⁶² Achatius Czema (†1565), palatinus Marienburgensis ab a. 1546, qui Sandomiriae obtinuit instruc- tionem regiam ad comitia Prussiae particularia, quibus epus Varmiensis ex officio praeesse debebat.

⁶³ Martinengo fuit apud reginam Bonam, quae Varsaviae tunc commorabatur, diebus 12-14 Sep- tembris (Bona ad Alexandrum Farnese, Varsaviae, 13 IX 1548, or. olim Neapoli, AS, Carte Farnesiane, fasc. 720; summarium Cracoviae, BPAN, ms. 8466 (Theca Romana 126)f. 111r. Cfr. infra, N. 17).

⁶⁴ Nicolaum Dzierzgowski, qui Lovicii commorabatur. Die 17 IX 1548 aepus gratias egit Alexan- dro Farnese pro epistula sibi per Martinengum allata (or. AV, Carte Farnesiane 7 f. 102r, ed. Theiner VMPL II, p. 563).

⁶⁵ Samuelem Maciejowski.

ferendi concilii summus pontifex responderit. De epo Cracoviensi (Maciejowski) cardinalitia dignitate ornando, etsi ad praesens sunt aliquae difficultates, ipse summo pontifici tempore opportuno in memoriam revocare promittit.

Cop. coaeva: Firenze, BNC, II-II 379 f. 804r-805r (in fascicolo inscripto: "Copia della lettera al Re di Polonia etc", f. 803r-806v).

Cop. 2 parte saec. XVI: Simancas, AG, Estado, leg. 2002 (Berzosa 1) f. 35r-36r.

- **Cop. XX saec.:** Kraków, BPAN, ms. 8497 (Theca Nuntiaturarum, I) f. 10r-11v.

Ser.me Rex.

Adventus Regiae Maiestatis V.rae Nuntii, Rev.di Viri D.ni Martini Cromerii, Ss.mo Domino Nostro et universo S.R.E. Cardinalium collegio gratis simus et acceptissimus fuit, tum quod gravi et eleganti oratione dolorem eum levavit, quem omnes ob Ser.mae Maiestatis V.rae piae memoriae parentis obitum ceperamus, tum quod ea de praeclara voluntate ac propenso animo Maiestatis V.rae erga ipsum Beatissimum Dominum Nostrum et Sacrosanctam Sedem Apostolicam testificatus est, quae etsi pro comperto habebantur, ipsius tamen Cromerii oratione quasi repraesentata, multo iucundissima fuerunt. Persuasum itaque habeat Maiestas V.ra de eius virtute, fide, constantia iam omnia expectari, quae a summo et generosissimo Rege expectanda sunt.

Quid ad mandata, quae nomine Maiestatis V.rae Cromerus diligenter exposuit, Ss.mus Dominus Noster responderit, quod ab ipso singula fidelissime renuntiatum iri pro certo habeo, litteris hisce mandare supervacaneum duxi. Duo tamen haec non praetermittenda mihi putavi: Primum de Concilio Oecumenico Ss.mum Dominum Nostrum eodem animi ardore et solicitudine, quo illud indixit et ut rite celebraretur operam dedit, modo per litteras, modo per Nuntios suos Principes hortari, rogare, urgere, ut frequenti Episcoporum [804v] conventu sacrosancta haec comitia continuentur, tantaque cura et tam flagranti studio in hanc unam rem incumbere, ut plane nemo dubitare possit, nunc per Sanctitatem Suam omnino non stare, quominus tam sancto tamque divinitus suscepto operi aliquando eiusdem Dei gratia et aspiratione, cuius praesenti numine foelicissime est inchoatum et magna ex parte confectum, extrema manus imponatur, quod certe eventurum, Deo fretus, Beatitudo Sua sperat, accedente praesertim Maiestatis V.rae aequissima ad optimam causam tuendam voluntate. Verum quae sint dilationis causae, quique totius negotii progressus, cognoscet Maiestas V.ra ex D.ni Cromeri verbis, et eadem, puto, ipsi enarrata iam fuerunt a Nuntio Sanctitatis Suae, Rev.do Viro Abbatte Martinengo.

Alterum, quod esse iis etiam litteris mandandum existimavi, illud nempe est: accuratam Rev.mi D.ni Cracoviensis commendationem ad Cardinala-

tus honorem gratissimam Sanctitati Suae contigisse, quod ex ea liquido perspexit talem esse virum, qualem ex fama et multorum fide dignissimorum testimoniis id pridem intellexit⁶⁶. Quare praecipuae esset Sanctitati Suae curae, et Maiestatis V.rae voluntatis ac iudicii certissimam rationem habere, et simul^{a)} Nationem Polonicam, sibi merito carissimam, hoc recenti suo beneficio prosequi, et ipsum Rev.mum D.num Cracoviensem [805r] pro suarum virtutum meritis ornare et honestare. Sed quominus in praesentia quod maxime vellet possit, cum multae temporum horum difficultates et perturbationes, tum vero ad Concilium pertinentes actiones adversantur. Opportunitatem tamen diligenter observabo, quam ubi primum nactus fuero, sedulo Sanctitati Suae Maiestatis V.rae commendationem in memoriam redigam. Et fore confido, ut neque Suae Beatitudinis parternam in obsequendo voluntatem, neque meam in suo hoc honestissimo studio adiuvando diligentiam Maiestas V.ra desideret.

Illud nunc pro summo meo amore et singulari in Maiestatem V.ram observantia, ac pro eo, quo fungor, sui Regni protegendi munere, ipsam magnopere hortor, ut quam apud Ss.mum Dominum Nostrum et Rev.mos Collegas meos de virtutibus suis expectationem concitavit, eam meritorum et officiorum erga hanc Sacrosanctam Sedem suorum perpetuitate^{b)} superare contendat. Me quidem meosque omnes semper sui et studiosissimos et observantissimos habebit. Bene ac foeliciter Maiestas V.ra valeat, cui ut Regnum et fortunas suas omnes praepotens et sempiternus Deus tueatur et amplificet, maiorem in modum cupio. Romae, die XIIIII Septembris M.D.XVIII etc.⁶⁷.

^{a)} *Ita in ms. Septimancensi; in ms. Florentino: sibi*

^{b)} *Ita in ms. Septimancensi; in Florentino: perpetuitatem*

N. 17.

**Hieronymus Martinengo
card. Alexandro Farnese**

Cracoviae, 22 IX 1548.

Notum facit se Sandomiriae a rege bene acceptum esse et, expositis quae in mandatis habebat, responsum tulisse regem semper velle vestigiis patris ince-

⁶⁶ Maciejowski commendatus erat ad cardinalatum a Sigismundo Augusto, ea praesertim causa, quod defendebat matrimonium regis cum Barbara Radziwiłł aduersus aepum Gnesnensem Nicolaum Dzierzgowski, qui tanquam Poloniae primas ius novam reginam coronandi habebat (v. Pociecha AMD, p. 56). Summus pontifex noluit tamen temerarie aduersus primatrem agere, ideo rem diferebat.

⁶⁷ Eodem die dedit Farnesius etiam epistulam, eiusdem fere tenoris, ad cancellarium regni, epum Maciejowski (copia Simancas, AG, Estado, leg. 2002 (Berzosa 1) f. 47r-48r).

dere, ad concilium tamen oratores suos mittere sine consensu comitiorum non posse; episcopos vero, cum quibus de hac re egerit, respondisse se nunc ob pericula Lutheranismi a dioecesibus suis abesse nolle. De Moscovitis Ecclesiae Romanae uniendis, de novo poenitentiario in basilica S. Petri Romana designando, de decreto super cortesanis abrogando ac de Alexandro Sculteto restituendo regem respondisse sicut in N. 14. De his, quae egerit Varsaviae apud reginam (Bonam) ac de aliquibus rebus sibi a rege commissis se post redditum suum Romam esse relaturum. Opinatur episcopos per brevia incitandos esse, ut ad concilium se conferant. Episcopum Cracoviensem excusare se de incongruentiis in commercio epistularum cum Curia Romana intercedentibus.

Or.: olim Napoli, AS, Carte Farnesiane (destructum).

- Ed.: Theiner VMPL II, p. 563-564 ("Ex Archivo Farnesiano Neapolitano").

- Ed.: Buschbell CT XI, p. 471-472 (fragmentum de concilio, ex "AV, Carte Sciolte VI"!).

Al Rev.mo et Ill.mo Monsignore, Signor mio col.mo il Card. Farnese Vicecancellario⁶⁸ a Roma⁶⁹.

Dopo le ultime mie ch'io scrissi a V.ra Signoria Rev.ma et Ill.ma di questa medesima città⁶⁹, il Re, come seppe la venuta mia, mandò un suo gentilhuomo per me, co'l quale andai a Sandomiria, luogo lontano di qua 20 di queste miglia, dove venne Sua Maestà da un altro luogo vicino, detto Radomia. Così il dì poi all'entrata sua [ho] havuto gratissima audience. Satisfeci all'offitio impostomi da Sua Santità, che certo gli fu oltremodo accetto et di consolatione grandissima. Et le gracie, che Sua Maestà ne rese, [erano] infinite. Esposi appresso il restante della mia commissione. La quale fu udita et intesa attentissimamente. Et mi parse non lassar indietro parte che ricercasi la qualità et la importantia del negotio. Le risposte sustanziali mi furono rese il giorno sequente. La somma delle quali è questa che Sua Maestà, sì come si ingegnerà sempre caminar per le vestigie del Padre, che fu in ogni tempo devotissimo alla Sede Apostolica, così in ogni tempo et occasione si sforzará rappresentar la medesima devotione et animo verso quella Sede.

Et quanto alla venuta di questi Prelati al Concilio, che più presto si maraviglia non venghino, che ne habbino mai havuto impedimento alcuno. Quanto poi al mandar i Nuntii del Regno, che gli è necessario parlarne nella futura conventione, nel che non mancarà per satisfar a la voluntà di Sua Beatussime; et quello che seguirà in detta conventione circa queste pertinentie, lo farà saper, o per Ambasciatore o per lettere, ma che la deliberatione del luogo dove si dovesse celebrar il Concilio, evacuerebbe tutte le difficultà che

⁶⁸ Alexander Farnese fuit Vicecancellarius Sanctae Romanae Ecclesiae ab a. 1535.

⁶⁹ Epistula haec desideratur.

di presente si allegano, così dalli spirituali come dalli temporali. Similmente quei Prelati, con i quali ho parlato diffusamente del tutto, che son stati il Vescovo di Cracovia, l'Arcivescovo Gnesnense, il Vescovo di Cameniez⁷⁰, mi hanno risposto che non possono mancar di venir, o di mandar, ma dall'altra banda che la persona loro è molto necessaria di qua, così per le occorrentie delle cose presenti, come per poter reparare a questa labe della heresia, penetrata in qualche parte di questo regno, che in absentia loro andarebbe ogni dì più contaminando le regioni; tutta volta che obediranno alli commandamenti di Sua Santità, et sperano che ogni contradittione, qual potessero fare i temporali, debbia esser convinta dalla promessa, quale Sua Maestà dirà havermi fatta di mandargli.

Quanto all'exhortare i Moschoviti a reunirsi alla Sede Apostolica, Sua Maestà ha commendato grandemente questo buon zelo di Nostro Signore, et che si affaticarebbe molto prontamente per aiutarlo se tra loro fussi miglior intelligentia, che non è, maxime essendo al fine della tregua; et che quando pure venisse la occasione, che farebbe ogni conveniente offitio.

Delli Penitentieri raccomandati già dal Ser.mo suo padre, non essendo giudicati idonei, che darà opera per trovar persona atta a tale offitio.

Quanto allo statuto concernente la impetrazione dell'iure, come dicono, cortegianico, Sua Maestà non può darne resoluta risposta, si non alla detta conventione, nella quale non è parso a Sua Maestà che io mi ritrovi per modo alcuno, allegandomi (oltra le incommodità grandi, quali io dissi essermi facili dove seguisse il servitio di Nostro Signore et di Sua Maestà anchora) i rumori che vi potrebbono nascere per causa di questo matrimonio, per i quali non vuole che io vegga quanto fosse^{b)} minore l'autorità sua di quella che doveria esser in un Re. La quale risposta mi è parso che non habbia replica.

Allo Sculteti Sua Maestà, in gratia di V.ra Signoria Rev.ma et Ill.ma, si contenta fare un salvocondotto, ma che non gli è lecito rescinder el decreto del suo padre. Similmente che le cose benficiali sono sotto altrui iurisdizione, ove Sua Maestà non s'ingerisce, ma che non mancarà di raccomandarlo etc⁷¹.

Fui similmente in Varsovia dalla Ser.ma Regina⁷², con la quale feci li ofitii che dovevo. Et riportai molte risposte, piene di buona satisfactione, si come più diffusamente renderò conto di questo et d'ogni altro particolare, al mio ritorno, maxime non havendo più tempo dal messo che parte di questa città, ove io mi ritrovo da ieri in qua licenziato et in camino d'Italia. Tratanto mi raccomando humilmente in buona gratia di V.ra Signoria Rev.ma et Ill.-ma. Alla quale Nostro Signor Dio conceda quanto desidera. Di Cracovia, alli XXII Settembre 1548.

⁷⁰ Leonardus Skończewski († 1562), epus Camenecensis ab a. 1546, qui ad breve pontificium, sibi per Martinengum allatum (v. supra, annotationem 5), respondit epistula ad Paulum III, data Varsaviae 13 IX 1548 (ed. Meyszewicz-Wyhowska I, p. 39-40).

⁷¹ De his omnibus v. supra, N. 14.

⁷²Bona.

La pressa del mezzo è in causa che strettamente si scriva il successo della negociacione, però me riservo alla venuta mia, con la quale sarà anche di ragionare di qualche altra cosa per commissione di questo Re. Non resterò di dire che con tutto che questi Prelati dichino di venire prontamente al Concilio, dove vorrà Nostro Signore, non veniranno se non haveranno un altro breve precettorio, anchor che io, servandomi del breve mio credentiale, gli ho civilmente commandato per virtù de la credenza, che Sua Santità voleva che^{c)} me desse che se disponghino al venire.

Quanto alle lettere che alle volte vengono contrarie circa retentione de benefici et commendatitie, Mons. di Cracovia se ne excusa galantemente, come V.ra Signoria Rev.ma intenderà poi.

Di V.ra Signoria Rev.ma et Ill.ma

humilissimo servitore
l'Abbate Martinengo

a) *Ita legit Theiner.*

b) *Apud Theiner sequitur: sarebbe*

b) *Theiner legit: se*

N. 18.

**Samuel Maciejowski, epus Cracoviensis
card. Alexandro Farnese**

Bodzentini, 24 IX 1548.

*Excusat se, quod nuntium Martinengo non ita, uti volebat, acceperit. Affir-
mat eum a rege honorifice exceptum esse. Officia sua defert.*

Or.: AV, Carte Farnesiane 7 f. 104r-v. In f. 105v inscriptio et sigillum.
- Ed.: Theiner VMPL II, p. 564-565 ("Ex Archivo Farnesiano Neapolitano"!).

Rev.me in Christo Pater et Ill.me Princeps et Domine, D.ne observatissime.

Officiosissimam perpetuae servitutis meae et orationum commendationem. Etsi Rev.dus D.nus Abbas Martinengus, nuntius Apostolicus, vel hac ipsa de causa commendatione egere minime videbatur, quod eius personam sustinere, qui cum Christi in terris locum teneat, non est aliis, cuius maior authoritas apud omnes esse debeat, tamen Rev.mae Dominationis V.rae litterae, ad id quod mea sponte facturus eram, credibile non est, quantum mihi currenti calcar addiderint, ut quem alioqui pro officio meo, quo summo licuis-

set honore excepturus eram, propter commendationem Rev.mae et Ill.mae Dominationis V.rae aliquid etiam addere ad eum honorem cupivissem, cuius augendi locus iam non fore videbatur. Quod si minus prolixè praestiti, quam vel ipse volebam, vel eius dignitas postulabat, in causa fuit quod ab ea civitate, in qua maiore cum honore et uberioribus officiis prosequi licuisset⁷³, longius aberam; atque in quo loco congressi sumus⁷⁴, in eo aequè propemodum hospes ego fui atque ille. Facultas ergo defuit, non voluntas, ea praestandi, quae cupiebam, vel pro Ss.mi Domini Nostri, cuius legatum egit, dignitate, vel pro V.rae Rev.mae et Ill.mae Dominationis, quam ego merito illius plurimi facio, tam accurata commendatione. Sed spero tamen promptam et alacrem voluntatem meam non minus illi gratam fuisse, quam si ad rem collata esset. Auditus est a Sacra Maiestate Regia et quo maximo fieri potuit in eo loco honore acceptus.

Quod me attinet, hoc sibi de me persuadeat velim, quod de addictissimo sibi homine, quibuscumque officiis atque obsequiis meis demererri mihi gratiam Rev.mae et Ill.mae Dominationis V.rae potero, nullam eius rei occasionem praetermittam. Opto Rev.mam et Ill.mam Dominationem V.ram [104v] quam diutissime incolumem esse et foelicem. Cuius gratiae benevolentiae que me diligenter commendo. Ex Bodzaczin⁷⁵, XXIIII Septembris, Anno Domini M.D.XLVIII.

(a) Eiusdem Rev.mae et Ill.mae Dominationis V.rae

humilis servus et capellanus
Samuel Epus Cracoviensis
et R[egni] P[oloniae] Cancellarius
subscriptis^{a)}

a-a) *Autographum.*

N. 19.

Hieronymus Martinengo
card. Alexandro Farnese

Venetiis, 27 X 1548.

Notum facit se ipsi scripsisse alli 18 di questo, vicino a Szolimbergo⁷⁶ , per un corriero della Regina di Polonia, che all' hora passava a Bari; se ipsi portare martem zibellinam vivam.

⁷³ Id est a Cracovia, cfr. N. 12.

⁷⁴ Id est Sandomiriae, cfr. supra, p. 408.

⁷⁵ Bodzentyn, arx episcoporum Cracoviensium, prope Kielce.

⁷⁶ Verisimiliter Schellenburg prope Carnoviam (Krnov, Jägerndorf) in Moravia, vel (quod minus probabile videtur) Schellenburg ad saltum Brenneri.

Or.: olim Napoli, AS, Carte Farnesiane, fasc. 727, epistula M (destructum). Nota et copia fragmenti textus manu Adami Darowski invenitur Cracoviae (BPAN, ms. 8466 (Theca Romana 126) f. 132r.

N. 20.

**Hieronymus Martinengo
card. Marcello Cervini**

Venetiis, 27 X 1548.

Non putat necessarium ei de missione sua in Polonia scribere praeter ea, quae scripserit Cracovia, maximamente dovendo esser presto a Roma. Gli dirò solo che vicino a questa città hebbi la di V.ra Signoria Rev.ma, che il Sig. Crumero portava⁷⁷. La quale essendo anche responsiva alle mie prime, tanto manco ricerca che io mi estenda. Salutat.

Or.: Firenze, AS, Carte Cerviniane 43 n. 156. In dorso inscriptio (Romam) et sigillum.

N. 21.

**Nicolaus Dzierzgowski, aepus Gnesnensis
Hieronymo Martinengo**

Lovicii, 30 XII 1548.

Rogat, ut sui adversus malevolos defensionis curam apud card. Farnesium habeat. Nuntiat in comitiis proxime praeteritis nuntios ad concilium confirmatos esse eos, qui antea electi fuissent, profecturos tamen esse, cum de loco celebrationis conventum fuerit. In memoriam revocat, quod illi de defensione religionis catholicae in synodo Lanciensi dixerit. Mittit copiam epistulae suae ad regem, in qua expulsionem e Vilna praedicatorum Lutheranorum postulabat.

Epistula:

Cop. XVI saec.: Simancas, AG, Estado, leg. 2002 (Berzosa 1) f. 38r-v. In margine summarium eadem manu confectum.

- Cop. XX saec.: Kraków, BPAN, ms. 8497 (Theca Nuntiaturarum, 1) f. 14r-v.

⁷⁷ Tum litterae Martinengi Cracovia datae (verisimiliter 22 IX una cum litteris ad Alexandrum Farnese), tum Marcelli Cervini ad illum responsivae non inveniuntur.

Folium annexum:

Or.: olim Napoli, AS, Carte Farnesiane, fasc. 120 f. 388r (destructum). Pociecha affirmat fuisse folium separatum, sine inscriptione et dato. Qua re et consideratis circumstantiis, in quibus scriptum illud confectum esse potuit, supponi potest illud una cum epistula ab archiepiscopo expeditum esse Martinengo, qui deinde supradictam copiam confecit et card. Alexandro Farnese transmisit.

- **Ed.**: Pociecha AMD, p. 57.

Lettera dell'Arcivescovo Gnesnense al Martinengo etc.
super mittendis ex Regno Poloniae legatis ad Concilium etc.

Illustris et Rev.de Domine, Amice et Frater in Christo charissime. Cum mihi certus oblatus esset tabellarius in Urbem Romam proficiscens, sine meis ad Rev.dam Dominationem V.ram litteris eum dimittere nolui, quibus tum benevolentiam meam ei testatam facerem, tum ut ipsa quoque mutua voluntate, sicut est pollicita, mihi respondeat, eam admonerem. Quae quidem nusquam commodius mihi responderit, quam si me dignitatemque meam habuerit commendatam et, si quando occasio inciderit res meas promovendi atque contra malevalorum conatus defendendi⁷⁸, mihi apud Ill.mum et Rev.mum D.num Card. Farnesium, Regni huius Protectorem, non defuerit. Id vero Rev.dae Dominationi V.rae praecipue ut sit curae, ab ea pro ista nostra coniunctione singularique eius humanitate maximopere peto. A me viçissim dabitur opera, ut istius officii gratum ac memorem fuisse me Rev.da Dominatio V.ra agnoscat.

Caeterum eam non lateat in proximis^{a)} Regni huius comitiis me cum Serenissimo Rege totoque Senatu diligenter egisse de mictendis [sic] ad Generale Concilium Legatis, perfecisseque communi sententia, ut decerneretur eos ipsos esse mictendos, non prius tamen profecturos, quam de loco Concilii inter Ss.mum Dominum Nostrum et Caesaream Maiestatem fuerit conventum⁷⁹, quemadmodum ea de re ex Nuntio meo, quem [38v] ad Ss.mum Dominum Nostrum atque etiam ad hoc idem Concilium brevi mittam, Rev.da Dominatio V.ra uberius cognoscet. Quam diu felicem valere cupio. Lovicii, die penultima Decembris, Anno Domini etc. MDXLVIII etc.

^{b)}Cum V.ra Dominatio Rev.da Suae Sanctitatis nomine me de diligentissimis in manutenenda religione orthodoxa requisisset, inter multa verba, quae ea de re cum V.ra Dominatione Rev.da habui, ostendi eidem, quae in sinodo Lanciensensi anno proxime praeterito de retinenda sacrosancta religione ege-

⁷⁸ Dzierzgowski accusatus est Romae, quasi minus recte de aliquo Ecclesiae instituto sentiret, quam accusationem in curia epi Cracoviensis, Samuelis Maciejowski, ortam esse. Pociecha (AMD, p. 56-57) opinatur. De accusatoribus vide infra, in eodem documento.

⁷⁹ Cfr. supra, N. 14 (p. 402).

rim [...]c)⁸⁰. Nec illud obliviscetur, Lithuaniae duos perversos praedicatores esse per Regiam Maiestatem Poloniae modernam praeterito anno a cathedra per meam admonitionem amotos, prout hoc testatur literarum per nos illius Maiestati scriptarum copia⁸¹. [*Affirmat calumniatores suos Romae, Franciscum quendam et Scipionem, homines esse sceleratos*]^{b, d)}.

Eiusdem Rev.dae Dominationis V.rae

Nicolaus, Dei gratia Archiepiscopus
Guasensis [sic], Legatus Natus
et Regni Poloniae Primas etc.

a) In ms.: proximi

b-b) *Folium annexum, editum a Pociecha.*

c) *Lacuna in editione a Pociecha facta.*

d) *In textu a Pociecha edito adest solum summarium Polonice ab ipso exaratum.*

N. 22.

**Ioannes Dziaduski, epus Premisiensis
Paulo III, pontifici maximo**

Brzozowiae, 18 II 1549.

Gratias agit pro litteris sibi per Martinengum allatis, quas aepus (Dzierzowski) sibi reddidit. Certiorem eum facit, se in omnibus dioecesibus, quarum gubernaculum teneret, semper adversus haeresim Lutheranam processisse et onera boni pastoris expleuisse, exemplo eius, quem Romae olim admiratus esset. Exaltat opus Concilii, quod ut quamprimum concludatur petit, ne novitatum sectatores affirment licere sibi postulata Lutheri sequi. Laudat opera eius in ornanda Urbe et viris doctis promovendis.

Or.: olim Napoli, AS, Carte Farnesiane (destructum).

- **Ed.:** Theiner VMPL II, p. 566-567 ("Ex Archivo Farnesiano Neapolitano").

⁸⁰ Synodus provincialis, celebrata Lanciae 15 IX 1547, re vera multa decreta edidit ad reformationem Ecclesiae spectantia, v. Subera, p. 122-124.

⁸¹ Copia haec non inventur. Praedicatores isti, Ioannes de Koźmin et Laurentius Discordia (Niegzoda) de Przasnysz, Lutheranismum aperte in aula Sigismundi Augusti Vilnae saltem ab initio a. 1547 praedicabant. Interventus episcoporum (praesertim Samuelis Maciejowski mense Maio 1547) nihil valuit. Sigismundus Augustus eos non expulit, etsi se hoc facturum promitteret. Cfr. T. Wotschke, *König Sigismund August von Polen und seine evangelischen Hofprediger*, "Archiv für Reformationsgeschichte", 4 (1907), p. 332-333.

Beatissime pater et domine, d.ne clementissime. Osculo pedum beatorum V.rae Sanctitatis humiliter oblato.

Cum veniret Abbas Martinengus Camerarius iussu Vestrae Sanctitatis [in] Poloniā, attulit etiam mihi a V.ra Sanctitate credenciae litteras⁸², quas humiliter, pro debito meo, cum reverencia a Rev.mo D.no Archiepiscopo Gneznensi oblatas suscepī, illi enim is Nuncius V.rae Sanctitatis reliquerat litteras mihi pertinentes. Et exposuit d.nus Rev.mus Archiepiscopus mihi mentem et fere divinum desiderium mandatumque V.rae Sanctitatis, ut vigilanter superintenderem, quo Secta Lutherana eliminaretur in mea dioecesi, et populus Christianus in recta fide et constitucionibus ecclesiasticis constanter perseveret, et ut Rutheni adducantur ad unionem fidei orthodoxae.

Scire dignetur Sanctitatis V.ra, quod toto conatu et sollicitudine, sinceraque intencione ago nunc, ut egi in aliis meis dioecesibus, ex quibus sum translatus⁸³, pro conservando cultu divino et ne error aliquis oriatur, aut ne diocesis mihi a Domino Deo et a Sanctitate V.ra commissa pravitate haeretica inficiatur. Subito enim iuris processu contra tales procedere consuevi, multos coercens, praedicans ipsem populo verbum Dei et adducens ad constanciam religionis sanctae; similiter Ruthenos ad unionem.

Didici enim in Urbe existens sub pontifice maximo felicis recordationis Clemente Septimo, et intuens assidue faciem et vultum Sanctitatis V.rae, quum egregie praeesset tunc celeberrimo ordini Cardinalium, iustoque iudicio gerebantur et processerunt, et quia perversi corrigebantur⁸⁴. Nunc autem multo magis, postquam magnitudine virtutis Dei Sanctitas V.ra assumpta est, et suscipere dignata est gubernationem et curam hominum et statuum orbis totius, ita ut nihil magis opportunum seu pernecessarium praemeditari Sanctitas V.ra audiatur et videatur, nisi ut fides sancta Christiana integra involataque permaneat, tranquillitasque sit in populo Christiano, extirpati quibusvis erroribus.

In quo optato felicique desiderio et sancta expectatione Dominus Deus prosperare semper dignetur V.ram Sanctitatem, quando quidem laudabiliter Concilium iamdudum indictum est per V.ram Sanctitatem, illudque cum dignitate procedit. Tribuat denique Dominus Deus ex alto, ut uno consensu omnium in vetusta et firma observacione canonum et constitucionum ecclesiasticarum determinetur seu concludatur, ex quo Luterus cum suis sequacibus in sectas dudum damnatas incidit; aut si aliquas moderaciones impii nunc expectarent, ne demum ludibriis inconstancia astruant nobis et illudant, et se praevaluisse contra determinacionem praesentis Concilii laetentur. Sic

⁸² Vide supra, annotationem 5.

⁸³ Ioannes Dziaduski (1496-1559), 1540 epus auxiliaris Vladislaviensis, 1542 epus Camenecensis, 1543 Chelmensis, ab a. 1545 Premisiensis.

⁸⁴ Dziaduski, completis studiis utriusque iuris Bononiae (ab a. 1519), per aliquod tempus commorabatur Romae (cfr. Jan Kwolek, PSB VI, p. 71-73), non prius tamen quam a. 1524, nam solum die 15 VI huius anni card. Alexander Farnese, futurus papa, nominatus est a Clemente VII cardinalis-episcopus Ostiensis, collegio cardinalium praesidens (v. Gulik-Eubel HC III, p. 5).

enim est, quod expectatur in dies decisio et finis Concilii a malevolis, et cominaciones fiunt contra Clerum, tanquam liceret sub utraque specie de caetero communicare (quod Deus procul avertat) et ne decimae solvantur ad decisionem Concilii, sitque liberum uxores Clero ducere; ita sibi certocercius proponunt et persuadent; affirmantque purgatorium non esse, ac multa alia scandala, carnibusque diebus prohibitis vesci impune ut liceat, in detrimentum Ecclesiae et Cleri, libertatumque ecclesiasticarum ab impiis praestolari feruntur.

Quae Sanctitati V.rae, Domino meo clementissimo, significare dignum censui, ut prospero successu Concilii, hisce et aliis erroribus opportune obviaretur et diffiniretur, quo in sacrosancta fide Christiana et bonis operibus, perpetua et antiqua, laudabili observacione canonum atque constitutionum et libertatum ecclesiasticarum, iuriumque, unusquisque per orbem perseveret et permaneat.

Clarissima profecto et magna sunt gesta Sanctitatis Vestrae, tam de huiusmodi Concilio, quam de diligenti et sumptuosissima structura templi Sancti Petri, atque de munitione Urbis Romanae et doctissimis virtuosissimisque viris fovendis et retinendis, necon indigentibus sublevandis, et ut quaeque in bono ordine et fama et honestate procedant et conserventur passim per Sanctitatem V.ram in bonum exemplum universis Christifidelibus. Sicut pro tot et tantis muneribus ab omnipotente Deo V.rae Sanctitati concessis, laus et honor et gratiarum actio sit Deo Optimo Maximo, qui tribuat Sanctitati V.rae longitudinem dierum et ad multa tempora incolumem sospitemque servet V.ram Sanctitatem exoro; prosperam denique semper et laudabilem gubernacionem et directionem Sanctae Romanae Sedis et Universalis Ecclesiae concedat V.rae Sanctitati, pro mea et omnis status spiritualis singulari consolacione. Et cum his me commendo, et oraciones meas in gratiam Sanctitatis V.rae omni mea devocione devoveo. Datum in Brzozow, die XVIII Februarii, Anno Domini MDXLIX⁸⁵.

Sanctitatis V.rae

dev.mus et deditissimus humilisque servitor
Iohannes Epus Premisliensis

⁸⁵ Eodem die dedit Dziaduski etiam similes litteras ad card. Alexandrum Farnese (ed. Meyszto-wicz-Wyhowska I, p. 44).

MARCUS ANTONIUS MAFFEI
(1553)

per tutti da sua B.^{ne} se li sarebbe cariss^{mo} per memoria di quelli.
dimani forse faranno dalla M. di sue faccio e farò a licenziar
mi per seguire il mio viaggio al set^{mo} d^e di Polonia il quale
essendo un poco infermo sarò più difficile le no^{te} per alcuni
giorni con speranza che Sabi a sbarcare presto, ancora che
per questi io non voglio da procurare per seguire qualche
prima, qualche mi è stato commesso da N.^{ro} qualche
mi farà gratia d'ignorarsi di fare intendere quanto è stato
grato et accetto qualche fin qui si è fatto in nome di
sua B.^{ne} se mi occorrerà altro boso scrivetemi
li mani di V. S. allemano R^{on} Di Vicchia alle
XIV di Giugno del C.^{ro}

Marc'Ant^o Steffew

Fragmentum epistulae autographae Marci Antonii Maffei
ad card. Innocentium Del Monte, datae Viennae, 17 Junii 1553 (cfr. N. 7)

(AV, Lettere di Principi, 19 f. 135v)

N. 1

**Iulius III, pontifex maximus
Sigismundo Augusto, regi Poloniae**

Romae, 27 V 1553.

Gaudet de matrimonio, quod rex cum filia regis Romanorum inire statuit et multa bona ex illo proventura praedicit. Dispensationem, pro illo requisitam, collata prius re cum cardinalibus, libenter concedit. Marcum Antonium Maffei, qui nomine suo ipsi gratulabitur et nuptiis intererit, ei commendat.

Or. correctum: AV, Arm. 41, ms. 68, f. 248v-248ar. In f. 248r inscriptio et in f. 248av summarium.

Min.: Ibidem f. 215r-v (cum datatione: "22 Maii").

Iulius Papa III

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Omnes quidem nuntii et litterae, quas a Maiestate tua accipimus, magna nos semper in Domino laetitia solent afficere ex novis quotidie atque illustribus, quae ad nos afferuntur, tuae erga nos benevolentiae et in Deum Sanctamque eius catholicam religionem piae mentis testimoniis, sed tamen nullae unquam gratiore quam postremae hae litterae fuerunt, quae nobis tuae Maiestatis de ducenda uxore constitutum consilium declararunt¹, ex ea prae-sertim familia, quae et ^(a)regiae amplitudinis et dignitatis splendore et verae^{-a)} religionis cultu ac^{b)} recta vivendi disciplina nulli sit secunda. Itaque multum sane de eo, pro nostro paterno tuae Maiestatis atque istius tui nobilissimi Regni commodorum studio, sumus laetati, quod in tali eligenda uxore tuorum et populorum desiderio et provinciarum praesidio, non in praesens modo tempus, sed in longinguam etiam aetatem prospiceretur.

Auxit vehementer laetitiam nostram publici boni, quod ex ea re existit, cogitatio. Cum ex huiusmodi magnorum ac piorum christianorum Principum sanguinis inter se et sanctissimae necessitudinis coniunctione, non solum generis semen ad nobilissimas familias propagandi, sed animorum etiam con-

¹ Epistula, qua Sigismundus Augustus tertium suum matrimonium (secunda uxor eius, Barbara Radziwiłł, mortua est 8 V 1551) cum Catharina (1533-1572), filia Ferdinandi Habsburg, notificabat, desideratur, nisi ea ipsa est, qua rex etiam dispensationem postulat (v. infra, annotationem 2).

sensus ac benevolentia ad Christianae Reipublicae firmitatem corroborandam conflatur. Ad hoc accessit tua proprie in nos ipsos humanitas, qui nos tam amanter ad eas ipsas nuptias invitaris. Nos vero et animo et voluntate aderimus, easque omni studio nostro amantissimisque ad Deum precibus et votis prosequemur, ut vobis, populisque vestris, universaeque simul Christianae Reipublicae (quemadmodum quidem sperandum est) faustae illae sint et salutares.

Quod vero per alteras suas litteras tua Maiestas a nobis petiit, ut scrupulis, qui in vestri huius matrimonii coniunctione incidenter², vos nostra atque huius Sanctae Sedis auctoritate liberaremus, ea res, cum nec usitata esset, nec ita facile concedi solita, eam cum ven.libus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus statim communicavimus, qui sane frequentes in eam nobiscum sententiam ierunt, ut ratione praefatae publicae christianorum populorum utilitatis, quae ex ista cognitione speranda est, id Maiestatis tuae et Ser.mi Romanorum Regis petitioni concedendum esset. Quare eius dispensationis auctoritatem, aliis nostris litteris expressam tua Maiestas habebit³.

Dominus autem Deus, qui omnium gratiarum et donorum auctor est et largitor, vestras huiusmodi nuptias suis coelestibus beneficiis in dies magis uberes ac fecundas reddat. Haec autem omnia expressius tua Maiestas intellicet ex dilecto filio Marco Antonio Maffaeo, ^(c)Sanctae Sedis Apostolicae Protonotario, Nuntio nostro^(c), dilecti filii nostri Card. Maffaei, nominis tui rerumque istius Regni studiosissimi, germano fratre. Quem pro temporis angustia, ut celeriter iter conficere posset, confessim istuc misimus, ut Maiestati tuae et Ser.mo Romanorum Regi de istis optatissimis nuptiis nostro nomine gratuletur, et ut in ipsarum etiam nuptiarum celebratione intersit et testis nostrae paternae erga Maiestatem tuam charitatis, et divinae benedictionis et favoris interpres. Datum ^(d)Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII Maii M.D.LIII, Pontificatus nostri anno quarto⁴.

Pau[lus]^(d)⁵

a-a) *Correctum (partim in margine, partim in textu) ex: amplitudine et dignitate, veraeque b) Suprascriptum pro expuncto in textu: et*

c-c) *Adscriptum supra, pro expuncto: Aulae nostrae Consistorialis Causarum Advocato d) Alia manu.*

² Inter sponsos habebatur duplex impedimentum: primi gradus cognationis, nam Catharina erat soror germana primae uxoris regis, Elisabeth, et secundi (cum tertio) gradus consanguinitatis, cum mater eius Anna fuerit filia Vladislai, regis Hungariae, fratris regis Sigismundi I. Cfr. petitionem dispensationis a rege Sigismundo Augusto, die 15 IV 1553 summo pontifici missam (reg. Warszawa, AGAD, Lib. Legat. 14 f. 50r). Similem petitionem ad papam misit rex Ferdinandus die 4 V 1553 (Theiner VMPL II, p. 574).

³ Originale membranum bullae dispensationis, 23 V 1553 datae, conservatur Varsaviae (AGAD, Archiwum Koronne Krakowskie, Pontificales, Dokumenty pergaminowe, n. 4429).

⁴ Eodem die datum fuit breve commendatitium pro M. A. Maffei ad reginam Bonam (min. AV, Arm. 41, ms. 68 f. 244r).

⁵ Paulus Sadoleto († 1572), nepos celebris Iacobi Sadoleti, epus Carpenteratensis ab a. 1535, secretarius litterarum Latinarum Iulii III a. 1552-1554.

N. 2.

**Iulius III, pontifex maximus
episcopis regni Poloniae**

Romae, 27 V 1553.

Notum facit se mittere Marcum Antonium Maffei, qui nuptiis regiis interfuturus et cum illis de quibusdam collaturus sit. Hortatur illos, ut aemulationibus et dissensionibus postpositis, contra impiorum impetus Ecclesiam defendant.

Min.: AV, Arm. 41, ms 68 f. 246r-v. Sub textu summarium.

Cop. coæva: Kórnik, BPAN, ms. 245 f. 83r-v.

Episcopis Regni Poloniae

Ven.les fratres, salutem etc. Cum mitteremus dilectum filium Marcum Antonium Mapheum, Sanctae Sedis Apostolicae Protonotarium^{a)}, ut gratis istis et optatis Ser.mi Poloniae Regis nuptiis nostro nomine interesset, eique nostris verbis praesens gratularetur, eidem iniunximus, ut Fraternitates quoque vestras, quas ad easdem honestandas nuptias conventuros arbitrabamur, solita nostra ex Deo salute bendictioneque impartiret, et ut vobiscum etiam partem gaudii nostri, quod ex istius praestantissimi Regis Regnique commodis capimus, communicaret.

Est etiam illa propria nobis vobiscum gratulandi et virtutem pietatemque vestram summopere in Domino laudandi occasio, quod vos, pro communi religione conservanda, veraque et recta in Deum catholica fide adversus illius oppugnatores tuenda, tam strenuam quotidie operam, cum ipsi Deo, tum fidei, integritati, dignitatique vestrae praestatis. Non sunt nobis, Fratres, vestrae curae et labores incogniti, quos in hac perturbatione temporum ad intestina mala aut sananda aut comprimenda suscipitis. Omnia vestrum sigillatim officia et gesta nobis sunt explorata, eademque a nobis debita erga unumquemque vestrum gratitudine animi ponderantur⁶. Porro maximas clementissimo Deo agimus gratias, quod talem vestro labore et opera per Regis istius bonitatem ac providentiam det proventum. Quem sane in dies ex unanimi consensu vestro, fraternaque ea, quae muneris atque ordinis vestri propria est, concordia, ampliorem uberioremque fore non dubitamus.

⁶ In mente habet modum, quo singuli eorum agebant tempore comitiorum anni praecedentis, cum iurisdictio ecclesiastica, postulantibus novatoribus, diminuta esset. Informatorem fuisse videtur epum Varmiensem Stanislaum Hosium, cui unico episcoporum separatas summus pontifex dedit eodem die 27 Maii litteras laudatorias, pro epistula sibi scripta gratias agens (AV, Arm. 41, ms. 26 f. 242r).

Quare hortamur vos, Fratres, ut si quae per inimicos pa[246v]cis homines seminentur inter vos aemulationis aut dissensionis causae, eas aut magnanimiter abiicientes, aut Deo pie condonantes, id ipsum^{b)} sentiatis omnes, ut consentientium inter vos voluntatum consiliorumque robore, impiorum ac malevolorum impetus frangantur. Quae vero per nos istic vel ad consolatiō nem bonorum, vel ad malorum resipiscentiam agi aut curari oportere iudica veritis, si de eis (^{c-}nos reddideritis certiores^{c)}, nos nec diligentia nostra, nec huius Sanctae Sedis auctoritate vestro rectissimo studio ullo loco deerimus. Datum ^{d-}Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXVII Maii 1553, Anno 4°.

Pau[lus]^{d)}

a) *Sequitur expunctum:* dilecti filii nostri Card. Maphei, rerum atque hominum istius Regni studiosissimi, germanum fratrem
 b) *Sequitur expunctum:* invicem

c-c) *Adscriptum supra, pro expuncto:* aut nos ipsos, aut praefatum dilectum filium nostrum Card. Mapheum admonueritis
 d-d) *Manu Pauli Sadoleti.*

N. 3.

Iulius III, pontifex maximus senatoribus saecularibus regni Poloniae

Romae, 27 V 1553.

Communicat eis se per Marcum Antonium Maffei (quem etiam eis commendat) regi et ipsis de matrimonio regio gratulari et adhortatur eos, ut religionem catholicam contra novas sectas defendant.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 68 f. 247r-v.

- Ed.: Raynaldus XIV, p. 518.

Cop. coaeva: Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 f. 111r-v.

Dilectis filiis Nobilibus viris Senatoribus Regni Poloniae

Dilecti filii, nobiles viri, salutem etc. Mittentes dilectum filium Marcum Antonium Maphaeum, Sanctae Apostolicae Sedis Protonotarium, Nuntium ad Ser.mum istum Regem, ut illi nostro nomine de istis exoptatis nuptiis gratularetur, atque eas etiam huius Apostolicae Sedis auctoritate, quantum pro temporis angustia fieri posset, cohonestaret, iussimus eum cum Nobilitibus quoque vestris, ad quas pro^{a)} sua eximia virtute insignique, quem in

isto amplissimo Regno obtinent loco, magnam huius laetitiae partem pervenire scimus, nostrum hoc gaudium, quod de istius Regni commodis capimus, communicare. Multae enim sunt causae, tum privatae, tum publicae (sicut ad ipsum Serenissimum Regem scribimus)⁷, quamobrem matrimonium istud probatum nobis sit atque iucundum, sed illa praecipua et maxima, quod ex hac mutua duorum magnorum Regum Regnorumque benevolentia, duabus amplissimis nationibus, nobilitate, fortitudine, casta et pura in Deum religione in primis florentibus, pax et securitas inter se constituitur, robur autem et firmamentum adversus exterarum iniurias confirmatur. Quare de tantis istius Regni commoditatibus vobiscum etiam gratulandum per nos esse duximus, Deumque optimum maximum coniunctis vobiscum precibus orandum, ut optime constituta consilia secundi etiam rerum eventus consequantur.

Illud etiam a nobis, pro nostro perpetuo omnium salutis desiderio, praetermittendum non est, ut scilicet Nobilitates V.ras de ea, quam in hac temporum agitatione catholicae fidei atque optimarum in christiana religione partium adversus impios seditiososque homines suscipitis propugnatione, in Domino plurimum commendemus, debitaque laude, quae verae virtutis comes est, prosequamur. Cum multa sint et amplissima erga istud nobilissimum Regnum Dei munera atque^{b)} dona, nullum omnino est, quod tam nobis illius stabilitatem diuturnitatemque polliceatur, quam ista, tum ipsius optimi Regis, tum optimatum principumque virorum, qui sub illo praestantisimo capite Reipublicae gubernacula moderantur, in vero Dei cultu et catholica religione conservanda unanimis atque censors consensio.

[247v] Hoc consilium, cum erga Deum pium et ad eius benignitatem nobis conciliandam maxime est idoneum, tum in ratione verae sapientiae in primis prudens est et salutare, cum istae novarum sectarum opinones (id quod tot iam provinciarum exemplis perspicuum est) non tam ad ecclesiasticarum rerum ordinem confundendum, quam ad labefactandos^{c)} omnes ordines, praefecturas et imperia, ut temeritati atque licentiae omnia permittantur, sint intentatae. Quod V.ras Nobilitates pro sua prudentia et dispicere et providere ita nobis gratum est, ut plus propterea^{d)} in dies et nostrae erga vos dilectioni indulgeamus, et vestrae tribuamus virtuti. Id quod ex praefato Marco Antonio plenius poteritis cognoscere. Cui Nobilitates V.rae fidem habebunt. Datum ^{e)}Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXVII Maii 1553, Anno 4^o.

Pau[lus]^{-e)}

a) *Sequitur repetitum: pro*

b) *Suprascriptum pro expuncto: et*

c) *Suprascriptum pro expuncto: tollendos*

d) *Adscriptum supra.*

e-e) *Manu Pauli Sadoleti.*

**Iulius III, pontifex maximus
Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi**

Romae, 27 V 1553.

Cum Marcum A. Maffei, qui gratulandi matrimonii causa ad regem Poloniae proficiscitur, eum in itinere (Vindobonae) conventurum esse intellexisset, separatis ei scribere constituit, ut gratias ei ageret eumque hortaretur ad constantiam in fide catholica adversus impiorum conatus defendenda.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 68 f. 198r. In f. 198v: "17 [sic] Maii 1553, anno 4" et summarium.

Radivivo [sic]⁸

Dilecte fili^{a)}. Ex Marco Antonio Mapheo, Sanctae huius Apostolicae Sedis Protonotario, Nuntio ad Ser.mum Poloniae Regem nostro, tua Nobilitas intelliget, quae ^{b)-sit illius-}^{b)} mittendi causa, nempe ea quae propter ipsius Regis commodum et sui Regni consolationem et quietem ^{c)-nobis et vobis, [qui]} illius am[plitudi]ni et digni[tati]^{c)}, est gratissima, ut ei scilicet de novis nuptiis gratulemur^{d)}. Quod, etsi alias ad Nobilitatem tuam litteras cum istius Regni proceribus communes dedimus, tamen cum intelligeremus prae-fatum Marcum Antonium te primum in itinere conventurum⁹, has privatum ad te ipsum^{e)} dare voluimus litteras, ut et quanti Nobilitatem tuam pro sua virtute facimus, ex ea re^{f)} intelligat, et ut eam etiam atque etiam in Domino hortemur, ut suo semper consilio atque excellenti auctoritate Dei et rectae Christianae catholicae fidei causam adversus impiorum conatus tutari velit. Quamquam tuam Nobilitatem in eo ipso^{g)} magis gratiarum actione quam hortatione indigere scimus¹⁰. Caetera nostra ex eodem Marco Antonio tua Nobilitas intelliget, cui fidem habebit. Datum ^{h)-Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXVII Maii 1553, anno 4°.}

Pau[lus]-^{h)}

⁸ Nicolaus Radziwiłł, dictus Niger (1515-1565), palatinus Vilnensis ab a. 1551, tunc intimus regis Sigismundi Augusti consiliarius.

⁹ Radziwiłł tunc commorabatur Vindobonae, ubi de conditionibus matrimonii huius ineundi cum rege Ferdinando tractabat. Maffei tamen iam eum Vindobonae non convenit, nam palatinus, matrimonio 23 VI 1553 stipulato et per procuratorem (quem ipse agebat) contracto, post 10 VII eiusdem anni in Polonię profectus est. Cfr. Jasnowski, p. 110.

¹⁰ Mira est haec laudatio, nam Radziwiłł iam hoc tempore ad Lutheranos inclinare cooperat, quo-rum catechismum in versione Polona eodem anno 1553 Brestiae imprimi curavit, v. Jasnowski, p. 199.

- a) *Sequitur expunctum: Intelle*
- b-b) *Adscriptum supra, pro expuncto: sint ad eum*
- c-c) *Adscriptum in margine, qui deinde in parte abscissus est.*
- d) *Correctum ex: gratularemur*
- e) *Adscriptum supra, pro expuncto: unum*
- f) *Adscriptum supra, pro expuncto: cognoscet*
- g) *Adscriptum supra.*
- h-h) *Manu Pauli Sadoleti.*

N. 5.

**Iulius III, pontifex maximus
Catharinae, archiducissae Austriae**

Romae, 28 V 1553.

De matrimonio eius cum Sigismundo Augusto gratulatur. Nuntium suum ad nuptias honestandas, Marcum Antonium Maffei, commendat, per quem ei reliquias Sanctae Crucis dono mittit.

Min.: AV, Arm. 41, ms. 68 f. 250r.

Catharinae Archiducissae Austriae

Char.ma in Christo filia nostra, salutem etc. Significavit nobis Ser.mus Rex Romanorum, pater tuus¹¹, te Char.mo (^ain Christo-^a) filio nostro Sigis-mundo Augusto, Poloniae Regi, despondisse. Quae nuptiae ut rite perfici^b) possint^c), huius Sanctae Sedis auctoritate (^dper nos, sicut^d) ille a nobis petiit, est indul-tum¹². Quare cupimus eas vobis omnibus, vestrisque regiis familiis atque universalii Christianae Reipublicae faustas esse et perpetuorum gau-diorum effectrices. Ut autem nostram erga praedictos Ser.mos Reges propen-sam voluntatem declararemus, misimus istuc^a) dilectum filium Marcum Antonium Maffaeum, Apostolicae Sedis Protonotarium, Nuntium^a) nostrum, qui in istis ipsis nuptiis nostro nomine intersit quasi interpres divinae erga eos benignitatis et favoris. Is tuae Celsitudini partem ligni Ss.mae^e) Domini No-stri Iesu Christi Crucis, in quo Salus mundi pependit, auro quidem^a) et gemmis inclusam, (^fsed omnibus humanis rebus longe pretiosiorem^f), nostro no-mine exhibebit¹³, ut^g) sit apud te monumentum paternae nostre erga Celsi-tudinem tuam charitatis. Eam te et venerabunde accipere, et in debita reve-

¹¹Ferdinandus.

¹²Vide supra, N. 1.

¹³Pro cruce hac elaboranda expensi sunt a thesaurario pontificio Iacobo quodam aurifabro "scudi 2 d'oro, per havere racconcio una crocetta d'oro, piena di diamanti, la qual si mandò alla Ser.ma Regina di Pollonia" (Roma, AS, F. Camerale I, Tesoreria Segreta, ms. 1295, fasc. D, f. 30v).

rentia cultuque^{a)} habere^{h)}, et rei ipsius dignitati atque excellentiae et pietati tuae conveniet. Datum ⁱ⁾Romae apud Sanctum Petrum etc., die 28 Maii 1553, anno 4^o.

Pau[lus]^{j)}

- a-a) *Adscriptum supra.*
- b) *Adscriptum supra, pro expuncto: fieri*
- c) *Sequitur expunctum: per nos*
- d-d) *Adscriptum supra, pro expuncto: ut*
- e) *Sequitur expunctum: Crucis*

- f-f) *Adscriptum in margine.*
- g) *Adscriptum supra, pro expuncto: Quae*
- h) *Sequitur expunctum: tuae pietati conve-*
niet.
- i) *Manu Pauli Sadoleti.*

N. 6.

**Litterae passus
a Iulio III, pontifice maximo
Marco Antonio Maffei datae**

Romae, 28 V 1553.

Cupiens dilecto filio Marco Antonio Maffeo, Sanctae Sedis Apostolicae Protonotario, quem ad Ser.mum Poloniae Regem nuntium nostrum mittimus, ac Adamo, eiusdem Regis secretario¹⁴, una proficiscentibus, tutum iter ubique patere, commendat eos omnibus et singulis, per quorum possessiones eos transire contingat (eodem exemplo ac Hieronymo Rorario, v. N. 5, sed brevius).

Min.: AV, Arm. 41, ms. 68 f. 251r.

N. 7.

**Marcus Antonius Maffei
card. Innocentio Del Monte**

Vindobonae, 17 VI 1553.

Notum facit se die 16 VI regi (Ferdinando) porrexisse breve et dispensationem pro matrimonio ab eius filia cum rege Poloniae ineundo, qui grato animo ea accepisset; eadem die fuisse etiam apud sponsam, cui etiam breve et reli-

¹⁴ Adamus Konarski (1526-1572), secretarius et agens regis Poloniae Romae a. 1552-1555 (cfr. Wojtyska PP, p. 376-390, 429-430), postea epus Posnaniensis (ab a. 1562).

quam s. Crucis dederit. Postero die in Poloniam proficisci se intendere, etsi rex ob infirmitatem, nuptias differre coactus sit.

Autogr.: AV, Lett. di Principi 19 f. 135r-v. In f. 136v inscriptio, sigillum et alia manu: "1553. Vienna. De Messer Marc'Antonio Maffeo 17 Iunii. Ricevuta 7 Iuli".

Ill.mo e Rev.mo Signor mio osservantissimo.

Hiersera, che furno XVI del presente, insieme con Mons. Nuntio¹⁵ hebi odienza [sic] da Sua Maestà, non si essendo possuto prima per la caccia che l'ha tenuta fuori della terra et i consegli, dove è stata occupata. Salutai Sua Maestà in nome di Nostro Signore, ralegrandomi con quelle parole che mi parveno più convenienti e più affettuose, per monstrar l'alegrezza et il piacere che haveva preso di questo nuovo parentado con il Re di Polonia.

Li presentai dipoi il breve insieme con la dispensa¹⁶, mostrando a Sua Maestà quanto gratiosamente e con quanto favore li era stata conceduta. Dalla quale mi fu risposto con parole molto amorevoli e piene di osservantia verso Nostro Signore, replicandomi le cagioni che l'havevano spinta a far questo parentado et i buoni effetti che erano per seguirne, e che Sua Maestà non intendeva che fosse fatto cosa alcuna senza la voluntà di Nostro Signore, essendo per questa, come obediente figliolo, ricorsa da Sua Santità; la quale ringratiaava della gratia tanto favorevole, offerendosi sempre paratissima ad ogni cosa che tornasse in beneficio di Sua Santità e della Sedia Apostolica.

Fatto questo offitio, visitai subito la sposa, e ralegrandomi seco, li presentai il breve, insieme con la croce¹⁷. La quale pigliò con molta divotione, mostrando che li fosse gratissima, sì per il dono istesso, sì ancora [135v] per venir da Sua Beatitudine, che li sarebbe carissima per memoria di quella.

Dimane penso tornare dalla Maestà di suo padre e da lei a licentiarmi per seguire il mio viaggio al Ser.mo Re di Polonia. Il quale essendo un poco infermo, si sono differite le nozze per alcuni giorni, con speranza che habi a sanarsi presto¹⁸. Ancora che per questo io non resterò di prevenire per eseguire quanto prima quel che mi è stato commesso da Nostro Signore. Al quale mi farà gratia degnarsi di fare intendere quanto è stato grato et accetto quel che fin qui si è fatto in nome di Sua beatitudine. Né mi occorrendo altro, baso

¹⁵ Hieronymo Martinengo, qui nuntius fuit apud regem Romanorum Vindobonae a. 1550-1554 (cfr. Goetz NBD I/16).

¹⁶ Breve ad regem Ferdinandum, verisimiliter eodem die 27 Maii datum, non invenitur. Dispensatio, de qua hic sermo est, est alterum exemplar bullae, de qua supra in annotatione 3.

¹⁷ Vide infra, N. 4.

¹⁸ Regem iam 8 VI, "consilio astrologorum" nuptias procrastinasse infirmitatis causa testificantur litterae eius ad oratorem Vindobonae, Nicolaum Radziwiłł, datae (Wojtyska PP, p. 62).

humilmente le mani di V.ra Signoria Ill.ma e Rev.ma. Di Vienna, alli XVII di Giugno del [MD]LIII.

Di V.ra Signoria Ill.ma e Rev.ma

humilissimo et obligatissimo servitore
Marc'Antonio Maffeo

N. 8.

Marcus Antonius Maffei
card. Innocentio Del Monte

Cracoviae, 3 VII 1553.

*Notum facit se venisse Cracoviam et ab omnibus bene acceptum esse; au-
dientiam suam et nuptias ob regis aegritudinem procrastinatas esse.*

Autogr.: AV, Lett. di Principi 19 f. 137r-v. In f. 138v inscriptio, vestigia sigilli et alia manu: "1553. Cracovia. Del Maffei. 3 di luglio. Ricevuta alli 26".

Ill.mo et Rev.mo Signor etc.

Ancora che non habi possuto fin' hora far con questo Ser.mo Re l'offitii che mi sono stati commessi da Nostro Signore, non ho voluto restar per questo di avisar V.ra Signoria Ill.ma della mia giunta in Cracovia, dove mi trovo al presente, ben visto et accarezzato da Sua Maestà e da tutti questi Signori ecclesiastici e seculari, non mi si mancando di tutto quello che si convien loro di fare ad un Nuntio di Sua Santità, verso della quale, cominciando dal Re, tutti mostrano di havere una grande osservanza et una gran riverenza alla Sedia Apostolica. Però io non manco di mantenerlo con tutti quelli offitii che si convengono di fare in nome di Nostro Signore.

La Maestà del Re non si può ancora rihavere da una febre, che son già cinque settimane che la tengono [sic] infermo. E per questo me si [137v] differisce l'odienza e si differiscono le nozze, più di quello che si pensava. Li medici dicono che ci è certezza di sanità e speranza che debbia essere presto, ma la opinion de molti è che il male andarà in lungo. Io, dopoi che harò visitato sua Maestà, aspettarò la venuta della Regina, secondo che mi commise Nostro Signore, se in questo mezzo non harò altro aviso da V.ra Signoria Ill.ma.

Alla quale baso humilmente le mani. Di Cracovia, alli III di Luglio del [MD]LIII.

Di V.ra Signoria Ill.ma et Rev.ma

humilissimo et obligatissimo servitore
Marc'Antonio Maffeo

N. 9.

**Senatores saeculares regni Poloniae
Iulio III, pontifici maximo**

Cracoviae, 14 VIII 1553.

Gratias agunt pro litteris, per nuntium (Maffei) ipsis transmissis, quibus hortatur eos ad religionis catholicae defensionem; certiores eum reddunt se nunquam fidei mutationem in Polonia permissuros.

Cop. coaeva: Kórnik, BPAN, ms. 245 f. 84v-85r.

Senatores saeculares Iulio III, pontifici maximo

Sanctissime ac Beatissime Pater et Domine D.ne clementissime. Post oscula pedum beatorum, perpetuam servitutem Sanctitati V.rae deferimus.

Quod nobiscum Sanctitas V.ra per oratorem suum, ad cohonestandas istas nuptias Ser.mi Regis nostri missum, tum etiam per litteras suas de integritate religionis, opt [...]a) in Ecclesiam Dei receptis moribus in Regno hoc conservandis egit¹⁹, ea nos, pro debito fidei nostrae atque erga Sedem Apostolicam, tum Sanctitatem V.ram observantia, non minus reverenter quam gratae accepimus, admonitionemque hanc, ut rectam et piam, ab animo que plane paterno profectam, obviis votis amplexi sumus. Etsi vero nihil est adhuc atque adeo attentatum, quod sacrosanctam fidem Catholicam syncerosque et tot saeculis iam confirmatos eius usus labefactare aut submovere posset, licet in tanta varietate atque discrimine morum, quo homines ad invicem in tota Christianitate inter se dissident, non unum fortassis omnes sapient, status tamen religionis, autoritas Ecclesiae et caetera fidei orthodoxae fundamenta atque ornamenta integra hactenus per Dei clementiam manent, Ser.mo Principe nostro et optimatibus Regni in id unice incumben-

¹⁹ Vide supra, N. 3.

tibus. Ita ut nihil verendum sit aliquid a praescripto Verbi Divini et veteri norma Ecclesiae in religione nobis, quoad Deus voluerit, viventibus, immutatum iri. Quod tamen adhuc Sanctitas V.ra calcar addit ultro currentibus, facit eo ad certamen istud alacriores et convitatores, erigitque simul animos nostros in optimam spem certae quietis et unitatis in Ecclesia Dei. Fovere enim illam, pacemque et stabilitamentum [85r] illius hac sollicita et vigilanti cura eximiisque studiis Sanctitas V.ra abunde cernitur. Quod ut Deus Optimus Maximus magis ac magis in dies promovere, Sanctitatemque V.ram sanam et felicem diutissime servare dignetur, sedulo precamur. Datum Cracoviae, 14 Augusti, Anno [MD]LIII²⁰.

a) *Illegibile.*

N. 10.

**Marcus Antonius Maffei
Martino Cromero, secretario regio**

Romae, 30 X 1553.

Notum facit causam Christophori Konarski, quam commendat et quae ante suum ex Polonia discessum iam commendata sibi erat, in curia Romana, Adami Konarski consensu et card. Putei auctoritate, transactam esse.

Or.: Olsztyn, ADWO, D 28 n. 35. In dorso inscriptio et vestigia sigilli.

Rev.de Domine.

Litteras tuas accepi, quibus Christophori Conarschi²¹ causam mihi commendas, quam mihi, priusquam a vobis discederem, Ser.mus Rex et Varmiensis noster plurimum commendavit²². Quorum autoritatem et virtutem sicuti a me plurimi fieri non ignoras, ita etiam tibi persuasum esse certo scio, me maximam curam adhibuisse, ut Christophorum huiusmodi moles-

²⁰ Similes litteras ad Iulium III dedit die 11 VIII 1553 etiam aepus Nicolaus Dziergowski, ad pontificias (v. supra, N. 2) responsivas (copia ibidem, f. 83v-84v, fragmentum ed. Pociecha MD, p. 77-78).

²¹ Christophorus Konarski (ante 1526 - ca 1574), secretarius regius ab a. circiter 1549.

²² Konarski promissum habebat ab epo Ioanne Dantisco, iam a. 1546, rege Sigismundo I postulante, primum canonicitum vacantem in dioecesi Varmensi; qua exspectativa mox renuntiassse una cum habitu ecclesiastico, Romanus Zelewski affirmit (PSB XIII, p. 466-467). Ex epistula hic reportata patet rem nondum a. 1553 finitam fuisse, cum adhuc hoc anno tam rex Sigismundus Augustus, quam epus Varmiensis, Stanislaus Hosius, pro ipso intercesserint.

tiis liberarem. Atque tandem eo res est, ut controversiam hanc non iniquis conditionibus transegerimus, quarum exemplum licet Adam, illius propinquus²³, cuius consensu et Cardinalis Putei²⁴ autoritate transacta res est, ad eum mittat, omnia tamen ex illius negocioribus cognosces.

Caetera, quae a te mihi commendata sunt, quantum mihi curae sint, malo te ex illorum, quorum interest, quam ex meis litteris intelligere. Pergratum mihi feceris, si quamprimum per oculum tibi licuerit, id ad me scriperis, quod tu et praesens es pollicitus, et nunc iterum per literas te facturum confirmas. Vale. Romae, XXX Octobris MDLIII.

(^a-Tui addictissimus Marcus Antonius Mafaeus
Archiepiscopus Theatinus^{-a)}

^{a-a)} *Autographum.*

²³ Adam Konarski, socius legationis Maffei in Poloniam (v. supra, N. 6). De eius "propinquitate" cum Christophoro Konarski non constat (v. Źelewski, PSB XIII, p. 466).

²⁴ Iacobus Puteo (1495-1563), card. ab a. 1551, viceprotector regni Poloniae a mense Augusto 1553.

I N D I C E S

INDEX

nominum, institutionum et locorum

In indice omittuntur nomina Sigismundi I regis Poloniae et locorum, in quibus scripta hic publicata inveniuntur (cfr. indicem fontium et tabulariorum). Cum de nuntiis agitur, numeris "crassioribus" signatae sunt paginae, in quibus de eorum missione in Polonia expleta praecipue sermo est; idem valet de pontificibus maximis et Sigismundo Augusto, cum de paginis agitur, in quibus de tempore eorum pontificatus vel regni tractatur.

Abel: 109.

Abraham, patriarcha: 107, 125.

Accoltis, Petrus de, card., viceprotector regni Poloniae: 6.

Adda, fluvius: 235.

Adriaticum mare: 137-138.

Aegyptus: 39, 96, 264.

Agareni, gens beduina: 42.

Agnes Sancta, festum: 128.

Agria (Eger), civitas: XLII, 339-340.

- dioecesis: 344, 346.

- epus: v. Frangepan Franciscus.

Alani, gens: 140.

Alba Ducalis (Alba Radivillorum, Biała Podlaska), oppidum: XXXIX, 94-96.

Alba Graeca (Belgrad), civitas: 96.

Alba Iulia, caput dioecesis Transilvaniensis: v. Transilvania.

Albergati Vianesius, scriptor brevium: 28.

Albertrandi Ioannes Baptista: 266.

Albertus Hohenzollern, ordinis BMV Theutonicorum magnus magister, postea dux in Prussia: VI, X-XI, XIII, XXXIV, XXXVII, 3, 5-7, 12, 14-16, 18, 30-31, 33-34, 36-38, 40-41, 44, 46-69, 71-74, 77-84, 94-99, 106-107, 116-117, 128-129, 140-143, 145-146, 162-163, 169, 173-174, 176-177, 180-196, 199, 206-207, 209, 213, 220, 270-271, 282, 293, 328, 391.

- eius consiliarius: v. Schönberg Theodoricus a.

- eius factor in Polonia: v. Bojanowski Stanislaus.

- eius oratores apud regem Poloniae: v. Dobeneck Iob a, Kittlitz Henricus a, Miltitz Henricus de.

- Albertus Iacobi de Kruszewo, notarius: 28-29, 70-71.
- Aleandro Hieronymus, nuntius in Germania, postea cardinalis: XX, XXXII, 300, 344.
- Alexander Iagellonides, rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae: 8, 16, 90.
- Alexander VI (Borgia), summus pontifex: 5, 8, 16, 89.
- Alpes, montes: 134.
- Altinum (Mohács), clades Hungarorum ad: XII-XIV, XXI, XXXI, 216, 223, 277.
- Amicinus Ioannes, canonicus et suffraganeus Cracoviensis: 171, 177.
- Ancona, civitas: XLI.
- epus, v. Accoltis Petrus de.
- Andreas Sanctus Apostolus, festum: 228.
- Angeli Sancti arx Romae: 280, 282, 405.
- Tabularium: XXXI.
- Angelina, famula matris Thomae Crnić: 137-138.
- Anglia, regnum: XIV, 39-40, 166, 328, 368.
- reges: v. Elisabeth, Henricus VIII.
- Anna Sancta, Mater Beatae Mariae Virginis, festum: 93-94.
- titulus ecclesiae Vilnae: 94.
- Anna, filia Sigismundi I et Bonae Sforza: 241.
- Anna, filia Vladislai II Iagellonidis, uxor Ferdinandi Habsburg, regis Romanorum: XXVI, 420.
- Anna, soror Ianussii, ducis Masoviae: 220.
- Antonius de Carboniano, scriptor brevium: 251.
- Apostoli Sancti: 39, v. Iacobus, Ioannes, Paulus, Petrus,
- Appennini montes: 234.
- Aprutium (Abruzzo), regio: 279.
- Apulia (Puglia), regio: 283.
- Aquila, civitas: 279.
- Aquileia, patriarchatus: XX.
- Vicariatus Imperialis: XXII.
- Arabici principatus: v. Aegyptus, Palaestina, Syria.
- Ara Coeli, conventus Romanus OFMObs: XVII.
- Aragonie, familia de: 107, v. Catharina regina Angliae, Ferdinandus II rex Hispaniae, Isabella Sforza.
- Arbusow Leonidas: LV, 292.
- Ardinghelli Petrus, secretarius Leonis X: XXX.
- Arditinus Paulus, scriptor brevium: 251.
- Ariminum (Rimini), civitas: XL, 228.

- Arius, conditor Arianismi: 111.
- Armellini de Medicis Franciscus, card.: 172-173, 175.
- Armeni: 190, v. Sergius monachus.
- Armenia: 99-100.
- Asculum (Ascoli), civitas: XIX.
- gubernator: v. Cito Ioannes Franciscus.
- Asia Minor: 100.
- Asisium, civitas: XVI.
- Augusta Vindelicorum (Augsburg), civitas:
- epus: v. Truchsess Otto.
- Aurelianum (Orléans), dux: v. Carolus de Angoulême.
- Austria, archiducatus: XXII, XXXII-XXXIII, XXXIX, 117, 230, 290, 389.
- archiduces: v. Habsburg.
- Averoldi Altobellus, epus Polensis, nuntius Venetiis: 37.
- Babilonia:** 107.
- Badoer Iacobus, locumtenens ducis Venetiarum: XV.
- Baglioni Horatius, dux exercitus pontificii: 280.
- Baiazid II, imperator Turcarum: 7.
- Baköcz Thomas, card., aepus Strigoniensis: 9, 18.
- Balan Petrus:* XXIX, L, 207, 210, 252, 255, 257, 260, 266, 269.
- Balcanica peninsula: 96.
- Balice: v. Boner Severinus de Balice.
- Balthasar de Piscia, scriptor brevium: 13, 28.
- Balticum mare (Sarmaticus oceanus): 99.
- Balzer Osvaldus:* LV, 116, 190.
- Bamberga, civitas: 14.
- praepositus: v. Hohenzollern Gumbertus.
- Bar, oppidum: 364.
- capitaneus: v. Pretwicz Bernardus.
- Baranowski Stanislaus OSB, canonicus Cracoviensis, abbas Tinecensis: 171, 177.
- Barbara Radziwiłł, uxor Sigismundi Augusti, regina Poloniae: XXV, 385-386, 388, 392-393, 407, 419.
- Barbara Zápolya, uxor Sigismundi I, regina Poloniae: 183, 328.
- eius filia: v. Hedvigis.
- Barium (Bari), civitas et ducatus: 155, 157, 164, 200-201, 245, 303, 411.
- ducissae: v. Bona regina Poloniae, Isabella de Aragonia Sforza.

Bartholomaeus Apostolus Sanctus, festum: 169.

Barycz Henricus: LV, 403, 405.

Basej Alexius, orator Basilii III apud Clementem VII: XIX.

Basilius III, magnus dux Moscoviae: VI, XVI, XIX, XXXIV, 3, 5-7, 9-10, 12, 14, 16, 18, 29-30, 36, 65-66, 117, 141-142, 144, 158, 161-162, 165-167, 169, 179, 217, 249-250, 252-260, 266-271, 273-275, 279, 282.

- eius orator apud Cruciferos: v. Semenov Alexander.

- - apud imperatorem Carolum V: 158, 162, 169, v. Jaroslavskij Ioannes, Trofimov Simeon.

- - apud regem Poloniae Sigismundum I: v. Borisov Simeon.

- - apud summum pontificem Clementem VII: 282, v. Basej Alexius, Gerasimov Demetrius, Lodygin, Trusov.

- - oratores summorum pontificum Leonis X et Clementis VII apud eum: v. Centurione Paulus, Cito Ioannes Franciscus, Ferreri Zacharias.

- - imperatoris Caroli V apud eum: v. Conti Antonius.

Batthyány Urbanus, orator Ioannis Zápolya apud Ferdinandum Habsburg: 329.

Belgrad: v. Alba Graeca.

Belial: 88.

Belibec, dux exercitus Turcarum: 167, 178.

Bembo Petrus, secretarius Leonis X, postea card.: 83.

Benedictini (Ordo Sancti Benedicti):

- abbatiae: v. Mons Subasius, Patavium, Tinecia.

- abbates: v. Baranowski Stanislaus, Ferreri Zacharias.

Benedictus de Nursia Sanctus: V.

Berislavić Petrus, epus Vesprimiensis: XI.

Bernardinus Senensis Sanctus, festum: 128.

- titulus ecclesiae OFMObs Vilnae: 93-94.

Bernardinae (Moniales Sancti Bernardini), conventus Sanctae Agnetis Stradomiae ad Cracoviam: 128.

Bernardini (Ordo Fratrum Minorum de Observantia): 93-94, 133-134.

- conventus: v. Ara Coeli Romae, Vilna.

- sodales: v. Cito Ioannes Franciscus, Frangepan Franciscus, Plichta Iacobus.

Bernardus de Biskupice, auctor diarii: XIV.

Berolinum, civitas: XXXVII.

- Archivum Regiomontanum Ordinis Theutonicorum: XXXVII.

Berytus, civitas: XVII.

- Berzosa, Ioannes de, tabularius: XXVIII.
- Biała Podlaska: v. Alba Ducalis.
- Biecz, civitas: 34.
- capitaneus: v. Boner Severinus.
 - castellanus: v. Boner Severinus.
- Bielski Martinus*: XV, XXIII, LV, 267.
- Biendery: v. Tehinia.
- Biskup Marianus*: VIII, X, LV, 3, 32-33, 52, 55-57, 63, 67, 69, 74, 106, 118, 174, 186-187.
- Biskupice: v. Bernardus de Biskupice.
- Blankenfeld Ioannes, aepus Rigensis: 268, 271.
- Blasius de Cesena, secretarius pontificius: XIV.
- Blosius Palladius, scriptor brevium, epus Fulginatensis: XXII, XXXIV, 283, 288-289, 316-320, 323, 356, 374, 376, 381, 383-385.
- Bodzentinum (Bodzentyn), arx: XLII, 410-411.
- Boguslaus X, dux Pomeraniae: 33.
- Bohemi: XIII, 5, 9, 18, 169, 174, 177, 198-199, 204, 209, 211, 277, 373, 392.
- episcopi: 315.
 - sectatores Lutheri: 173.
 - senatores: 315.
- Bohemia: XXXI, XXXIX, 137, 158, 162-163, 168-169, 171, 180, 183, 200, 208-209, 212, 214, 216, 220.
- comitia generalia regni: 168, 173.
 - legati pontificii: v. Campeggi Laurentius, Vio Thomas de.
 - orator regis Poloniae: v. Szydłowiecki Christophorus.
 - - regis Galliae: v. Rincon Antonius.
 - reges: v. Ferdinandus Habsburg, Ludovicus II, Vladislaus II.
- Bohemicum negotium: 161, v. Calixtini.
- Bohusz Bohowitynowicz Michael, thesaurarius terrestris Lithuaniae: 274.
- Bojanowski Stanislaus, factor Alberti ducis in Prussia in Polonia: 391.
- Boleslaus dictus Krzywousty, dux Poloniae: 188.
- Bona Sforza, regina Poloniae: XV, XVIII, XXI, XXV, 14, 32, 34, 65, 68, 107, 137, 155, 157, 164, 185-186, 191, 197, 203, 219-220, 231, 236, 239-240, 243, 245, 256-257, 261-264, 284, 288, 292, 294-296, 301, 303-304, 316-317, 321-322, 326, 331, 336-345, 348, 363, 372-373, 382-383, 386, 388, 392-393, 396, 405, 408-409, 411, 420.
- eius auditor generalis: v. Grosso Franciscus.
 - eius confessarius: v. Torre Marcus de la.

Bona Sforza, regina Poloniae; eius consiliarius: v. Lismanino Franciscus.

- eius filiae: 239, 243, v. Anna, Isabella, Sophia.

- eius filius: v. Sigismundus Augustus.

- eius medicus: v. Valentino Ioannes Andreas.

Bonaventura Sanctus, festum: 93-94.

Boner de Balice Ioannes, orator regis Poloniae Mediolani: 65, 67.

- Severinus, burgrabius et zupparius Cracoviensis, castellanus Biecensis, postea castellanus Sandecensis: 34, 328, 364, 373.

Bongiovanni Berardus, epus Camerinensis, nuntius in Polonia: 186.

Bonifacius VIII (Caetani), summus pontifex: 27.

Bononia, civitas: V, XVIII, XXIV-XXV, 35, 230, 374-376, 379, 401-402, 404.

- universitas studiorum: XXIII, 415.

Bononienses: XXI, 234.

Borisov Simeon, orator Basilii III magni ducis Moscoviae in Polonia: 165.

Bornemisza Ioannes, castellanus Budensis, consiliarius Ludovici II: 165166.

Bosnia, regnum: 215.

Bourbon, Carolus de, dux exercitus Caroli V: 212, 217, 280.

Brabantia, ducatus: 117.

Bragadino Laurentius, orator Venetus Romae: XX.

Brandenburgia, marchia:

- marchiones: v. Hohenzollern.

Brandi Carolus: LVI, 199, 334.

Branicki Sebastianus, epus Camenecensis, postea Chelmensis, deinde Posnaniensis: 291, 301, 306-307.

Bratislava: v. Posonium.

Braunsberga (Braniewo), civitas: 74.

Breda, comitatus: 199.

Brestia in Cuiavia (Brześć Kujawski), civitas: 31.

- castellani: v. Kretkowski Erasmus, Oporowski Ioannes.

Brestia, oppidum ad fluvium Bug: 424.

Breves, Antonius de, Sabaudius, socius nuntii Ferreri: VIII, 68-69.

Brixia (Brescia), civitas: XXIV.

Brixia (Brixen), epus: v. Sprentz Sebastianus.

- praepositus: v. Sprentz Sebastianus.

Brodárics Stephanus, secretarius Ludovici II, epus Sirmiensis, postea Vaciensis, cancellarius Hungariae: 178, 212, 216.

Bruck an der Mur: v. Pons ad Muram.

Brudzewski Nicolaus, palatinus Lanciciensis: 384.

Brundisium (Brindisi), civitas: 7.

Bruxellae, civitas: XI.

Brzozowia, oppidum: 414, 416.

Brzozowski Iacobus, parochus Plonscensis: 104.

Buczacki Iacobus, epus Chelmensis, postea Plocensis: 291, 301, 307-308.

Buda, civitas: XI-XIII, XV, XXII-XXIII, XXXI, XXXIX-XLII, 161, 163-165, 167, 171, 173-182, 184-185, 196, 198-199, 201, 206, 208, 210, 212, 214, 217-218, 220, 244-245, 321, 327, 329-332, 342, 345, 350.

